PONTIFICIA UNIVERSITAS GREGORIANA

TEXTUS ET DOCUMENTA
IN USUM EXERCITATIONUM ET PRAELECTIONUM ACADEMICARUM

SERIES THEOLOGICA
6

PHOTIUS ET ECCLESIA ROMANA

I.

PRIMUS PATRIARCHATUS PHOTII
858-867

DOCUMENTA COLLEGIT ET NOTIS ILLUSTRAVIT
G. HOFMANN S. I.
PROF. IN PONT. INST. ORIENT. STUDIORUM

ROMAE
APUD AEDES PONT. UNIVERSITATIS GREGORIANAE
PIAZZA DELLA PILOTTA
—
1932

PONTIFICIA UNIVERSITAS GREGORIANA

TEXTUS ET DOCUMENTA

IN USUM EXERCITATIONUM ET PRAELECTIONUM ACADEMICARUM

SERIES THEOLOGICA

6

PHOTIUS ET ECCLESIA ROMANA

I.

PRIMUS PATRIARCHATUS PHOTII

858-867

DOCUMENTA COLLEGIT ET NOTIS ILLUSTRAVIT

G. HOFMANN S. I.

PROF. IN PONT. INST. ORIENT. STUDIORUM

ROMAE

APUD AEDES PONT. UNIVERSITATIS GREGORIANAE

PIAZZA DELLA PILOTTA

—

1932

IMPRIMI POTEST

Romae, 15 Iunii 1932.

ADULFUS MARIOTTI,
Praep. Prov. Rom. S. I.

IMPRIMATUR

Romae, 22 Iunii 1932.

† IOSEPHUS PALICA,
Arch. Philipp., Vic. Ger.

ROMAE — EX SCHOLA TYPOGRAPHICA PIO X — ROMAE

FONTES[1]

I.

SCRIPTA PHOTII.

1. *Glossarium.* Editio recens: S. A. NABER, 2 vol. Leidae 1864-65.
2. *Myriobiblion* vel *Bibliotheca.* MIGNE PG 103, 104.
   De *manuscriptis* cf. EDG. MARTINI, *Textgeschichte der Bibliothek des Patriarchen Photius.* Lipsiae 1911.
3. *Amphilochia.* MIGNE PG 101. Opus principale theologicum, inprimis exegeticum, Photii.
4. *Commentarii biblici,* conservati praecipue in catenis Oecumenii, Theophylacti, Nicaetae; de Novo Testamento. Cf. K. STAAB, *Neue Pauluskommentare aus der griechischen Kirche.* Bonner Zeitschrift für Theologie und Seelsorge 7 (1930).
5. *Opera canonistica.* Decreta synodalia, epistolae canonicae. MIGNE PG 104. De *revisione* Nomocanonis cf. ZACHARIÄ VON LINGENTHAL, *Über den Verfasser und die Quellen des (Pseudo-Photianischen) Nomocanon.* Petropoli 1885. I. B. PITRA CARD., *Iuris ecclesiastici graecorum historia et monumenta.* II. Romae 1868. 434 sqq.
6. *Opera polemica.*
   a) Quattuor libri contra Paulicianos. MIGNE PG 102.
   b) Contra Latinos: α) *Mystagogia Spiritus S.;* MIGNE PG 102. β) De episcopis et metropolitis; MIGNE PG 104. γ) Ad, eos, qui dicunt, Romam esse primam cathedram; RALLI-POTLI, Σύνταγμα κανόνων. IV (Athenis 1854). δ) complures epistolae.
7. *Epistolae,* circiter 280. MIGNE PG 102; BALLETTAS (Londinii 1864).
8. *Homiliae et sermones*, circiter 70. ARISTARCHOS, Φωτίου λόγοι καὶ ὁμιλίαι. 2 vol. Constantinopoli 1900-1.
9. *Opera poetica et sententiae.* MIGNE PG 102, LAURIOTES, Ἐκκλησιαστικὴ Ἀλήθεια 14 (1895) N. 28.

---

[1] *Fontes* et *libros* pro hoc et secundo vol. simul enumerabimus.

II.

SCRIPTA DE PHOTIO.

NICETAS PAPHLAGO, *Vita S. Ignatii*. MIGNE PG 105; MANSI XVI, 209 sqq.

THEOGNOSTUS (archimandrita Constp.), *Libellus S. Ignatii*. MANSI XVI, 295 sqq.

METROPHANES SMYRN., *Ad Manuelem Patricium*. MANSI XVI.

STYLIANUS NEOCAES., *Ad Stephanum V Papam*. MANSI XVI, 426 sqq.

HISTORICI BYZANTINI (Theophanes Continuatus, Simeon Magister, Leo Grammaticus, Skylitzes). MIGNE PG 108, 109; MANSI XVI, 459 sqq.; CORPUS BONNENSE.

ANASTASIUS BIBLIOTHECARIUS, *Praefatio in Concilium VIII* oec.; MANSI XVI, 1-13; MIGNE PL 129, 1-24; PERELS 403-415.

LIBER PONTIFICALIS; editio DUCHESNE II 154 sqq.

III.

DOCUMENTA PONTIFICIA.

S. NICOLAUS I, *Epistolae*. PERELS in *Monumenta Germaniae Historica*, Epistolae, tom. VI (Berolini 1925) 433–610 (Nicolai I epist. ad res orientales pertinentes). MIGNE PL 119, 775 sqq.

HADRIANUS II, *Epistolae*. *Perels* MGH. Ep. VI, 747-762 (Hadriani II epistolae ad res orientales pertinentes); MANSI XVI; MIGNE PL 122, 1276 sqq.

IOHANNES VIII, *Epistolae*. *Caspar-Laehr* in *Monum. Germ. Hist.*, Epist. VII (Berolini 1928), 166 sqq.; MIGNE PL 126, 855 sqq.

STEPHANUS V, *Epistolae*. *Caspar-Laehr* in MGH, Ep. VII, 372 sqq.; MANSI XVI, 419 sqq.; MANSI XVIII A, 11 sqq.

IV.

ACTA SYNODALIA.

Synodus Romana 863; cf. epistolas S. Nicolai I.

Concilium VIII oecum. 869-70. MANSI XVI, 1-308. Versio Latina Anastasii Bibliothecarii; item in MIGNE PL 129, 1-196; MANSI XVI 307-410 Epitomator Graecus.

Synodus Photiana 879-80; MANSI XVII A, 373-524.

LIBRI

Ios. Hergenröther, *Photius.* 3 vol. Ratisbonae 1867-69.

A. Lapôtre S. I., *L'Europe et le Saint Siège a l'Epoque Carolingienne.* I. Le Pape Jean VIII (872-882). Lutetiae Parisiorum 1895.

A. Ehrhard, *Photius.* Wetzer-Welte, *Kirchenlexikon.* IX (1895) 2082-2093.

A. Ehrhard, *Photios.* Krumbacher, *Geschichte der byzantinischen Litteratur*[2]. Monachii 1897. 73-79.

F. Kattenbusch, *Photius.* Hauck, *Realencyklopädie für protest. Theologie und Kirche.* XV (1904) 374-393.

Alb. Vogt, *Basile I empereur de Byzance* (867-886). Lutetiae Parisiorum 1908.

Hefele-Leclercq, *Histoire des Conciles.* IV, 1. Lutetiae Parisiorum 1911.

I. B. Bury, *A history of the eastern roman empire from the fall of Irene to the accession of Basile I.* Londinii 1912.

Ernst Perels, *Papst Nikolaus I und Anastasius Bibliothecarius.* Berolini 1920.

M. Jugie C. Ass., *De Photii morali effigie.* Bessarione XXV (1921) 1-32; XXVI (1922) 22-48.

R. Ianin C. Ass., *S. Ignace de Consp.* Vacant, *Dictionnaire de Théol. Cath.* VII (1922) 713-722.

M. Jugie C. Ass., *Le culte de Photius dans l'Eglise Byzantine.* Revue de l'Orient Chrétien. III[e] Serie, tome III (1922/23).

Fr. Dvornik, *Les Slaves, Byzance et Rome au IX siècle.* Lutetiae Parisiorum 1926.

L. Bréhier, *Bardas.* Dictionnaire d'Histoire et de Geographie ecclésiastiques. Paris 1932. 759-762.

V. Grumel C. Ass., *Le « Filioque » au concile photien de 879-880 et le témoignage de Michel d'Anchialos.* Echos d'Orient XXIX (1930) 257-264.

V. LAURENT C. ASS., *Le cas de Photius et Jean XI Bekkos*. Echos d'Orient XXIX (1930) 396-415.

A. VOGT–I. HAUSHERR S. I., *Oraison funèbre de Basile I par son fils Léon VI le Sage*. Orientalia Christiana XXVI, 1 (1932).

De Theologia Photii.

HERGENRÖTHER, *Photius*. Vol. III, 264-652.

HERGENRÖTHER, *In librum de Spiritu S.* (*Mystagogia*) *animadversiones historicae et theologicae*. MIGNE PG 102, 399-542.

IOS. SLIPYI, *Die Trinitätslehre des byzantinischen Patriarchen Photius*. Zeitschrift für katholische Theologie, XXIV (1920) 538-562; XXV (1921) 66-95; 370-404.

M. JUGIE C. ASS., *Photius et la Primauté de Saint Pierre et du Pape*. Bessarione XXXV (1919) 121-130; XXXVI (1920) 16-76.

M. JUGIE C. ASS., *Theologia dogmatica christianorum orientalium ab ecclesia catholica dissidentium*. I, Lutetiae Parisiorum, 1926. (De Primatu apud Photium) 119-153; (De Processione Spiritus Sancti apud Photium) 179-223.

PRAEFATIO

Documenta huius voluminis patriarchatum *primum* Photii respiciunt, sive inter Photium et S. Nicolaum I Papam gesta (858-867).

1) De vita Photii *ante* patriarchatum primum, ca. 810-decembr. 858, testimonia invenies apud Nicetam Paphlagonem, *Vita S. Ignatii patriarchae* (Migne PG 105, 509 A-B), apud ipsum Photium (Migne PG 102, 597 BC, 609 B, 740 C, 877 B, 944 D, 956 C, 957 B, 960 B, 965 sq., 972 D, 1020 A; Migne PG 103, 41, 44); apud Anastasium Bibliothecarium (Mansi XVI, 5-6, 165, 197). In his locis de *familia* Photii, de eius *studiis, magisterio,* muneribus publicis *civilibus* tractatur.

2) Documenta N. 1-3, quae infra in lucem edentur, machinationes contra S. Ignatium, eius depositionem (23 nov. 858) et persecutiones quas passus est (858-60) narrant. N. 1 *a*: Bardas, frater Theodorae imperatricis; N. 1 *b*: *Gregorius Asbestas*, metropolita Syracusanus. N. 2: Ignatius dignitate *non* abdicat. N. 3: Photius fit patriarcha illegitimus. Attulimus testimonia ex Niceta Paphl. et Styliano metropolita Neocaesariensi; ea, quae saepius in epistolis Nicolai I Papae et Hadriani II, in actis concilii oecumenici VIII de initio patriarchatus Photii narrantur, non discrepant a relationibus duorum praedictorum testium ocularium. De *chronologia* depositionis Ignatii et initio patriarchatus Photii cf. C. de Boor; Byzantinische Zeitschrift 4 (1895) 449 sqq.

3) Documenta N. 3-8 partem principalem *duarum epistolarum* Photii ad Nicolaum I Papam exhibent et *responsa pontificia*, itemque partem *apologiae* S. Ignatii in synodo Constantinopolitana 861 habitae, in qua legati romani, Radoaldus episcopus Portuensis et Zacharias episcopus Ananiensis contra Instructiones Pontificis Romani depositioni S. Ignatii subscripserunt.

De legatione Photiana-Imperiali, per quam epistolae Michaelis III Imperatoris (nunc deperdita) et Photii Romam allatae sunt, hi fontes adsunt: epistola inthronistica Photii (Migne PG 102, 585-94, responsa

Papae 25 sept. 860 ad Imperatorem (PERELS 433-439; MIGNE PL 119, 773-80), ad Photium (PERELS 440, MIGNE PL 119, 780); Liber Pontificalis II 154-55 (editio DUCHESNE), testimonium Marini legati romani in concilio VIII oecum. (MANSI XVI 58), qui apud S. Mariam Maiorem receptioni legatorum byzantinorum 860 interfuit. In prima epistola Photii et in epistula imperatoris violenta depositio S. Ignatii tacebatur.

De legatione episcoporum Radoaldi et Zachariae et synodo Constantinopolitana 861 cf. epistolas Nicolai I et Hadriani II, Theognostum (Libellus S. Ignatii), Stylianum Neocaes. (Epistola ad Stephanum V Papam), Nicetam (Vita S. Ignatii), Anastasium Bibliothecarium (Praefatio in concilium VIII oecum.).

Secunda epistola Photii (Apologia) ad Papam (PERELS 447-451 MIGNE PL 119, 785-790) et Michaelis III (quae epistola non iam inventa est) cum 2 voluminibus (nunc deperditis) synodi Constantinopolitanae (861) a Leone secretario imperiali initio 862 Papae traditae sunt. Responsa pontificia sunt protestatio publica in praesentia Leonis contra synodum Constp. (861), epistola secunda ad Photium (PERELS 447-51, MIGNE PL 119, 785-790) et ad Michaelem III (PERELS 443-46, MIGNE PL 119, 790-94) 18 martio 862. Eodem die Papa litteras encyclicas pro Ignatio et contra Photium promulgavit (PERELS 441-42, MIGNE PL 119, 783-85).

4) Docum. N. 9 capitula *Synodi Romanae* aprili 863 contra Photium eiusque socios et pro Ignatio in medium affert. Papa NICOLAUS ad Photium et Ignatium *epistolas* de hac decisione synodali dedit, et hortationes adiunxit, historica de factis (858-863) narratione praemissa; docum. N. 12 et 13.

5) De PHOTII et Imperatoris Michaelis *contra Ecclesiam Romanam* (865-867) *pugna* in documentis N. 10, 11, 14 aliqua habes. Ad accusationes Michaelis III (sub influxu Photii) in epistola ampla (hodie deperdita) factas Papa 25 sept. 865 responsum dedit (PERELS 454-487. MIGNE PL 119, 926-62). Photius ipse contra Ecclesiam Romanam 867 post presbyterorum graecorum ex Bulgaria expulsionem epistolam ad patriarchas orientales scripsit (MIGNE PG 102, 721-42) eosque ad concilium invitavit; in hac synodo (867), cui legati *falsi* patriarcharum orientalium subscripserunt, Nicolaus Papa condemnatus fuit.

Papa Nicolaus Hincmarum archiepiscopum Remensem caeterosque episcopos regni Caroli Calvi 23 octobri 867 hortatus est, ut ecclesiam romanam contra graecos dissidentes scripto et synodaliter defenderent. PERELS 601-9, MIGNE PL 119, 1152 sqq. Hoc fecerunt AENEAS episcopus Parisiens., *Liber adversus Graecos* (MIGNE PL 121,

685-72), RATRAMNUS, monachus Corveyensis, *Contra Graecorum opposita Romanam Ecclesiam infamantia* (MIGNE PL 121, 225-346), *Synodus Vormatiensis* anno 868 (MIGNE PL 119, 1201-12).

6) Romanus Pontifex 13 nov. 867 mortuus est, Photius iam antea (inter 23 sept. et 23 nov. 867) a Basilio I novo imperatore depositus et S. Ignatius 23 nov. 867 solemniter in ecclesiam S. Sophiae ingressus erat. Hadrianus II Papa dixit de praedecessore suo: « Nec scriptura pandere nec profecto lingua sufficit enarrare, quanta, o dilectissime frater [Ignatius patriarcha], pro ecclesiae Constantinopolitanae statu atque pro tua specialiter erectione certaminum palaestras decessor meus, sanctae memoriae papa Nicolaus cum subiecta sibi ecclesia indesinenter exercuit et usque ad melioris vitae transitum toleravit, adeo ut in ipso suae migrationis articulo pro commendanda causa tua vel ecclesiae divinitus tibi commissae nec scribendo sibi pepercerit, nec pro hac, si non loquendo, saltem innuendo cessaverit, donec officium dumtaxat oris amitteret et oculos penitus obseraret » (PERELS 750).

DOCUMENTA

Epistolas S. Nicolai ex editione critica Perels (Monumenta Germaniae Historica, Epistolae, vol. VI) desumpsimus, itemque magnam partem notarum; *epistolas Photii* cum versionibus latinis, ex Migne PG 102; *epistolam Styliani Neocaesar.* ex editione Caspar-Laehr (Monumenta Germaniae Historica, Epistolae, vol. VII), versionem latinam ex Mansi XVI; *Theognosti* libellum S. Ignatii (textum graec. cum versione latina) ex Mansi XVI; *Nicetae Paphlagonis Vitam S. Ignatii* ex Migne PG 105.

Versiones latinae fuerunt a me revisae. Selectio documentorum ita facta est, ut evolutio historica dissidii Photiani studiosis patescere possit.

1.

Adversarii S. Ignatii patriarchae.

a)

Bardas.

Nicetas Paphlago, *Vita S. Ignatii archiepiscopi Constp.*; Migne PG 105: 504 A-C.

Τὸν Βάρδαν ἐκεῖνον οἶδ᾽ ὅτι πάντες ἀκούετε, ὡς Θεοδώρας μὲν τῆς ἀγαθῆς βασιλίδος ἀδελφὸς ἦν, οὐκ ἀγαθὸς δέ, ἀλλὰ καὶ λίαν πικρὸς καὶ ἀπάνθρωπος· ὃν σπουδαῖον μὲν εἶναι καὶ δραστήριον περὶ τὴν τῶν πολιτικῶν πραγμάτων μεταχείρησιν, οὐδεὶς δὲ περὶ τὴν ἐκκλησίαν χρηστὸν ἔφησε γενέσθαι· τοῦτον τῇ ἰδίᾳ φασὶν οὕτως ἐπιμανῆσαι νύμφῃ, ὡς ἀνὰ πᾶσαν τοῦτο τὴν πόλιν περιβομβηθῆναι· καὶ οὐκ ἄχρι τῶν πολλῶν μόνον, ἀλλὰ καὶ μέχρις αὐτοῦ τοῦ ἀρχιερέως τὴν πονηρὰν φήμην ἐλθεῖν. Τί οὖν ἐκεῖνος;

Οὐ τὸ μέγεθος εὐλαβήθη τοῦ προσώπου, οὐδὲ συνεσκίασε τὸ ἀμπλάκημα τῇ σιωπῇ, ἀλλὰ καὶ ἤλεγξε κατὰ τὴν ἐντολήν,

---

Bardam illum, uti scio, nostis omnes, Theodorae Augustae bonae imperatricis non bonum, sed saevum admodum et crudelem fuisse fratrem. Quamquam enim in rerum civilium administratione egregius industriusque esset, rei tamen ecclesiasticae nemo illum utilem dixit: ut qui nurus suae amore ita fureret, ut eius rei fama totam urbem peragraret, nec inter plebem tantum haereret, sed ad patriarchae quoque aures haec mala fama deferretur. Quid ergo patriarcha?

Non hominis dignitatem reveritus facinus silentio texit, sed ex lege arguit reprehenditque et hortatus est, ut parceret pro-

ἀλλὰ καὶ ἐπετίμησεν, ἀλλὰ καὶ παρεκάλεσε φείσασθαί τε τῆς ἰδίας ψυχῆς, καὶ τὸ φρικτὸν τουτὶ μῦσος ἀποῤῥύψασθαι· ὁ δὲ οὐ μόνον οὐκ ἀπέσχετο τοῦ κακοῦ, ἀλλὰ καὶ ἐπὶ τῆς ἐκκλησίας (ἑορτὴ δὲ τῶν ἁγίων Θεοφανίων ἦν) καὶ αὐτὸς ἀναιδῶς προσῆλθε, τῶν θείων μεθέξων μυστηρίων.

Τί δὲ ὁ ἀρχιερεύς; Ἀποβάλλεται τῆς κοινωνίας, ἀνάξιον τοῦτον τῆς τοῦ Δεσποτικοῦ σώματος κρίνων μεταλήψεως. Ὁ δὲ μαίνεται μανίᾳ πικρᾷ, καὶ κατὰ τῆς ἰδίας ὁπλίζεται ψυχῆς· ἀπειλεῖ τὸ οἰκεῖον ξίφος τοῖς σπλάγχνοις τοῦ ἱεράρχου καταχῶσαι· ὁ δὲ ἀνταπειλεῖ, τὸν δυνάμενον ἐκκαλούμενος ἐπιστρέψειν τὴν ῥομφαίαν αὐτοῦ ἐπ᾽ αὐτόν. Αὕτη γίνεται σκανδάλων ἀρχή· αὕτη πρώτη τῆς ἐκκλησιαστικῆς ἀκαταστασίας ἀφορμή.

b)
Gregorius Asbestas.

Stylianus episcopus Neocaesariensis anno 886 exeunte a Papa Stephano V petit, ut ordinatis a Photio et nunc poenitentibus veniam concedat; praemittit narrationem de circumstantiis historicis electionis Photii.

Caspar-Laehr 375-376; Mansi xvi, 428 A-429 A.

Τί δὲ ὁ μισόκαλος δαίμων; Ἑτέραν πάλιν ἤγειρε τρικυμίαν, πάλιν γὰρ ἤγειρε Γρηγόριον τὸν ἐπιλεγόμενον Ἀσβεστᾶν [1] καὶ

---

priae animae et horrendum illud scelus expiaret. Ille tamen non modo se ab improbitate sua non abstinuit, sed ipso Epiphaniae die festo in aedem sacram eucharistiae mysteria percepturus, impudenter est progressus.

Quid hic patriarcha? A sacris arcet, indignum eum iudicans corporis Dominici participatione. Ille vero furore crudeli raptus in exitium suae animae arma sumit, minaturque se gladium suum in antistitis viscera defixurum. Sed hic contra comminatur (Deum) invocans, qui potens esset gladium in illum convertere. Hinc offensionum origo; haec prima perturbationis ecclesiasticae origo.

Quid vero boni inimicus daemon? Aliam rursus tempestatem excitavit; excitavit enim Gregorium cognomento Asbestam,

---

[1] Archiepiscopum Syracusanum, depositum ab Ignatio inter 848-854.

Εὐλάμπιον [1] καὶ Πέτρον [2] καὶ τοὺς περὶ αὐτοὺς καὶ δι' αὐτῶν τὰ μέλη Χριστοῦ διασπᾷν ἀπ' ἀλλήλων καὶ τοῦ ἁγιωτάτου Ἰγνατίου τοῦ πατριάρχου οὐκ ὤκνησεν. Οὓς ὁ πατριάρχης οὗτος πλειστάκις συνοδικῶς προσκαλεσάμενος καὶ ὅσον ἔδει θεραπείας ἀξιώσας, ἵνα μὴ ἐκκοπέντες τῆς τοῦ θεοῦ ἐκκλησίας θήραμα τῷ πονηρῷ γένωνται, θεραπεῦσαι οὐκ ἴσχυσε. Διὸ καθαιρέσει καὶ ἀναθέματι αὐτοὺς καθυπέβαλεν, ἐκεῖνοι δὲ γράμματά τε ἀπέστειλαν καὶ πρέσβεις πρὸς τὸν τηνικαῦτα ἁγιώτατον πάπαν Ῥώμης τὸν μακάριον Λέοντα [3], ζητοῦντες τὴν παρ' αὐτοῦ ἐκδίκησιν, ὡς δῆθεν ἠδικημένοι. Καὶ ὁ πάπας πρὸς πατριάρχην Ἰγνάτιον ἔγραψεν [4], ἀξιῶν ἀποστεῖλαί τινα ἐκ προσώπου αὐτοῦ πρὸς τὴν πρεσβυτέραν Ῥώμην, ὡς ἂν δι' αὐτοῦ ἀναμάθῃ τὰ περὶ τοὺς σχισματικοὺς ἐκείνους.

Καὶ ὁ πατριάρχης Ἰγνάτιος τοῦτο πρᾶξαι οὐκ ἀνεβάλετο, ἀλλ' ἀπέστειλε Λάζαρον [5] τὸν μοναχὸν καὶ ὁμολογητὴν μετὰ γραμμάτων, ὡς ἀκριβῶς εἰδότα τὰ περὶ τὸν Γρηγόριον. Ὃς

Eulampium, Petrum et horum sectatores, et per eos membra Christi inter se distrahere et a sanctissimo patriarcho suo Ignatio avellere non dubitavit. Quos tamen patriarcha, cum saepius ad synodum citatos et quanta poterat humanitate tractatos curare vellet, ne ab ecclesia Dei resecti malo (diabolo) praeda fierent, sanare non potuit. Quapropter depositos anathemati eos subiecit. Illi legatos cum litteris ad sanctissimum tunc Papam Romae, beatum Leonem, miserunt, illum sibi, ac si essent laesi, ultorem petentes. Papa ergo datis ad Ignatium patriarcham litteris voluit, ut suo nomine legatum ad Romam Veterem mitteret, per quem de schismaticorum causa cognosceret.

Nec moratus patriarcha Ignatius, Lazarum monachum et confessorem (fidei) cum litteris misit, qui accurate noverat causam Gregorii, et papae exposuit. Itaque similem sententiam con-

[1] Episcopum Apameae. — [2] Episcopum Mileti, deinde Sardes translatum. — [3] Leo IV, 847-855. — [4] Iaffé 2629. — [5] monachus et sacerdos, Chazaris appellatus. De eo ACTA SS III, febr. 392-393, epistola Nicolai I Papae (docum. N. 10). Lazarus post mortem Leonis IV Romam videtur venisse. Liber Pontificalis (ed. Duchesne) II, 147.

καὶ ἐδίδαξε τὸν πάπαν ταῦτα. Διὸ καὶ αὐτὸς κατεψηφίσατο καὶ κατέκρινεν ὁμοιοτρόπως τοὺς παρὰ Ἰγνατίου κατακριθέντας ὡς σχισματικούς. Τελειωθέντος δὲ τοῦ μακαρίου πάπα Λέοντος ἐκεῖνοι τῷ μετ᾽ αὐτὸν Βενεδίκτῳ [1] τῆς Ῥώμης πάπα πάλιν δι᾽ ὄχλου γεγόνασι περὶ τῶν αὐτῶν. Ἀλλ᾽ ὁ ἁγιώτατος Βενέδικτος ἀκριβῶς καὶ αὐτὸς ἐξετάσας τὸ πρᾶγμα τὴν κατ᾽ αὐτῶν κρίσιν Ἰγνατίῳ ἐκύρωσεν [2].

Οἱ μετὰ τοῦτο Φωτίῳ τινὶ σχισματικῷ [3] ὄντι τῆς τοῦ θεοῦ Κωνσταντινουπολιτῶν ἐκκλησίας καὶ ἐν ἀρχοντικῇ τάξει τελοῦντι συνεργῷ χρησάμενοι πρὸς Βάρδαν τὸν παραδυναστεύοντα [4] καὶ θεῖον Μιχαὴλ [5] τοῦ βασιλέως ἐλεγχόμενον καὶ αὐτὸν παρὰ τοῦ πατριάρχου Ἰγνατίου ἐπὶ αἰσχρογαμίᾳ τὸν Ἰγνάτιον τοῦ θρόνου βιαίως καταβιβάζουσι, συκοφαντίας οὐκ ὀλίγας πλασάμενοι κατ᾽ αὐτοῦ καὶ τὸν βασιλέα δι᾽ αὐτῶν συναρπάσαντες. Ὃς δὴ βασιλεὺς τὸν Φώτιον ἀντὶ Ἰγνατίου εἰσήγαγε παρὰ τῶν σχισματικῶν ψηφισθέντα καὶ ὑπὸ τοῦ καθαιρεθέντος Γρηγορίου χειροτονηθέντα αὐθημερόν. Ὁπότε καὶ οἱ ἀρχιερεῖς καὶ οἱ λογάδες τῶν ἱερέων καὶ ὅσον περιφανὲς ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ ἀπερράγησαν διὰ τὴν

---

demnationis contra eos ut schismaticos tulit, quam tulerat Ignatius. Post mortem beati Papae Leonis illi rursus successori Benedicto Papae de eisdem rebus molesti fuerunt. Sed sanctissimus Benedictus diligenter et ipse discusso negotio approbavit Ignatii contra illos sententiam.

Qui postea Photio schismatico ecclesiae Dei Constantinopolitanae et magistratu civili fungente, socio et adiutori usi apud Bardam tyrannum et Michaelis imperatoris avunculum, qui et ipse ab Ignatio patriarcha ob incestas nuptias arguebatur, Ignatium de throno violenter eiiciunt, non paucis contra eum confictis accusationibus etiam imperatorem lucrati. Qui Photium loco Ignatii intrusit, a schismaticis designatum et a Gregorio deposito uno eodemque die consecratum. Quo tempore simul antistites et principales sacerdotes et quicumque insignes in ecclesia erant,

---

[1] Benedictus III, 855-858. — [2] Iaffé 2667. — [3] Photius laicus factionis antiignatianae fuit. HERGENRÖTHER, *Photius* I 362-364. — [4] Bardas, frater Theodorae imperatricis, 842-866 re vera imperium gubernavit. — [5] Michael III, 842-867, filius Theophili imperatoris et Theodorae.

τοῦ σχισματικοῦ Φωτίου ἀκανόνιστον εἰσαγωγήν, ἐν οἷς κἀγὼ ὁ ἐλάχιστος.

Πολλοὺς δὲ κἀκεῖνος εἰς ἑαυτὸν ἐπεσπάσατο τοὺς μὲν φοβῶν, τοὺς δὲ κακουχῶν, τοὺς δὲ δώροις ἐξαπατῶν. Εἶτα δὲ καὶ ἰδιόχειρον ἐγεγράφει τοῦ μηδέποτε κατὰ Ἰγνατίου ἢ τῆς κατ' αὐτὸν ἱερωσύνης κατηγορίαν συστήσασθαι. Οὐ πολὺ τὸ ἐν μέσῳ, καὶ καταφρονήσας τοῦ οἰκείου χειρογράφου ἐν τῷ περιβλέπτῳ ναῷ τῶν ἁγίων ἀποστόλων συνέδριον ληστρικὸν[1] συστησάμενος καθαιρέσει καὶ ἀναθέματι τὸν πατριάρχην Ἰγνάτιον ὁ μοιχὸς καθυπέβαλεν. Εἶτα τὴν οἰκείαν παρανομίαν ἐκ περιουσίας συστῆσαι βουλόμενος πρὸς τὴν καθ' ὑμᾶς πρεσβυτέραν Ῥώμην καὶ τὸν τηνικαῦτα ἁγιώτατον πάπαν Νικόλαον[2] ἐξαπέστειλεν ἐπισκόπους[3] μετὰ βασιλικῆς συναινέσεως καὶ ἐξητήσατο τοποτηρητὰς παρ' ἐκείνου σταλῆναι πρὸς τὴν τῶν Κωνσταντινουπολιτῶν ἐκκλησίαν, ἐπιτηρήσοντας τὰ παρ' αὐτοῦ κατὰ Ἰγνατίου πραχθέντα.

---

propter anticanonicam Photii schismatici intrusionem avulsi sunt, in quibus et ego postremus (fui).

Multos tamen ille ad suas partes attraxit, aliis terrorem iniciens, aliis mala infligens, alios donis corrumpens. Deinde sua manu per scriptum testatus est, nullam se adversus Ignatium aut consecratos ab eo accusationem instituturum. Sed non ita multo post suo chirographo violato, in conspicua sanctorum apostolorum aede concilium latrocinii adunavit atque moechus Ignatium patriarcham deposuit et anathematizavit. Insuper cum suam ipsius impietatem abunde firmare vellet, Romam Veterem vestram ad sanctissimum tunc Papam Nicolaum episcopos cum consensu imperatoris misit; legatosque ab eo petivit, qui ad ecclesiam Constantinopolitanam venirent et acta a se contra Ignatium observarent.

---

[1] synodus latrocinii 859. — [2] Nicolaus, 858-867. — [3] Legati Romam 860 missi fuerunt 4 episcopi, Methodius, Samuel, Theophilus et Zacharias cum spathario Arsaber, qui aestate 860 Romam advenerunt.

2.

Ignatius dignitate patriarchali non abdicavit.

Decembr. 858.

NICÉTAS PAPHLAGO, *Vita S. Ignatii;* MIGNE PG 105, 505 B.

Μετὰ μικρὸν δὲ καὶ αὐτὸν ἀπελαύνει τοῦ πατριαρχείου τὸν Ἰγνάτιον, καὶ πρὸς τὴν νῆσον Τερέβινθον[1] αὐτὸν ὑπερορίζει.

505 C-D.

Οὔπω τρεῖς μετὰ τὴν κατάβασιν[2] διεληλύθεισαν ἡμέραι, καὶ παρῆσαν τῶν ἐπισκόπων οἱ νομιζόμενοι λογάδες, λίβελλον ἀποταγῆς ἤτοι παραίτησιν διὰ τὴν ἐνεστῶσαν τοῦ καιροῦ κακίαν ἀξιοῦντες λαβεῖν παρ' αὐτοῦ. Καὶ ταῦτα τίνες; Οἱ ἐγγράφως αὐτῷ πρότερον ὀμωμοκότες, καὶ αὐτῆς ἐκπεσεῖν τῆς ὑπερουσίου Τριάδος εὐξάμενοι, εἴγε τὸν οἰκεῖον ποιμένα ἄνευ καταγνώσεως ἀθετήσαιεν κανονικῆς. Ἀλλ' αὐτοὶ μὲν ὑπέστρεφον ἀνήνυτα πεπονηκότες. Μετ' ὀλίγας δὲ αὖθις ἡμέρας πατρίκιοι καὶ τῶν κριτῶν οἱ ἐπιφανέστατοι σὺν τοῖς προλαβοῦσιν ἐπισκόποις ἐξιόντες, πάσαις μηχαναῖς, ὑποσχέσεσί τε καὶ ἀπειλαῖς τὸν θρόνον ἐγγράφως παραιτήσασθαι κατεβιάζοντο, εἴγε μὴ μέλλοι εἰς προφανῆ καθεῖναι

Nec multo post ipsum quoque Ignatium a domo patriarchali pellit, atqui in insulam Terebinthi eiicit... Necdum triduum a patriarchae discessu fluxerat, cum adsunt, qui putabantur inter episcopos primarii, libellum renuntiationis sive abdicationem ob praesentium temporum iniquitatem ab eo petentes. Et quinam hi? Qui antea illi per scriptum iuraverant, se prius supremam Trinitatis maiestatem negaturos, quam sine canonica damnationis sententia pastorem suum exauctorari passuros. Verum ii re infecta reverterunt. Intra paucos autem dies patricii iudicumque clarissimi cum iisdem episcopis egressi, omnibus machinis et pollicitationibus comminationibusque compellebant, ut throno (episcopali) scripto se abdicaret, si in apertum nollet

---

[1] iuxta Constantinopolim, una ex dictis insulis principum; hodie a Turcis vocatur Sedef. — [2] Ignatius 23 nov. 858 in exilium missus est.

κίνδυνον ἑαυτόν. Ἔμενε δὲ ἀμετάθετος οὐδὲν ἧττον ἢ πέτρα παράλιος εἰς βάθος γῆς ἐῤῥιζωμένη, καὶ πάσαις ἀνένδοτος κυμάτων ἐπιφοραῖς.

3.

Photius fit patriarcha illegitimus.

Niketas Paphlago, *Vita S. Ignatii;* Migne PG 105, 509 A-B.

Ἐπειδὴ τοίνυν οἱ παρὰ τοῦ βασιλέως τότε πολλὰ πειράσαντες, τὸ πρὸς παρανομίαν ἐνδόσιμον οὐχ οἷοί τε ἐγεγόνεισαν παρὰ τοῦ Ἰγνατίου λαβεῖν, γενναίαις ἐνστάσεσι παραιτήσασθαι μὴ καταδεξαμένου, παρ᾽ ἑαυτῶν ἔλαβον τοῦτο λοιπόν· καὶ πλεῖστα καθ᾽ ἑαυτοὺς συσκεψάμενοι, καὶ πᾶσαν κεκινηκότες βουλήν, Φώτιον πρωτοσπαθάριόν τε ὄντα καὶ πρωτοασηκρῆτιν, εἰς ἀρχιερέα τῆς βασιλίδος προχειρίζονται. Ἦν δὲ οὗτος ὁ Φώτιος οὐ τῶν ἀγεννῶν τε καὶ ἀνωνύμων, ἀλλὰ καὶ τῶν εὐγενῶν κατὰ σάρκα καὶ περιφανῶν, σοφίᾳ [1] τε κοσμικῇ καὶ συνέσει τῶν ἐν τῇ πολιτείᾳ στρεφομένων εὐδοκιμώτατος πάντων ἐνομίζετο. Γραμμα-

---

committere se periculum. Sed non minus immobilis stetit quam petra littoris altis in terram defixa radicibus omnibus fluctuum insultibus nihil cedens.

Postquam igitur administri regii, saepe tentata re, non potuerunt flectere Ignatium ad id, quod inique petebant, nobili constantia abdicationem recusantem, a se ipsi consilium de caetero petiverunt; rebusque inter se diu agitatis, omnique deliberatione facta tandem Photium protospatharium et primum a secretis, metropolitam (patriarcham) urbis regiae designant. Hic Photius non fuit ignobilibus et obscuris, sed claris et illustribus ortus natalibus, rerumque civilium et politicarum usu, prudentiaque et scientia clarissimus. Grammaticae enim et poie-

---

[1] etiam S. Nicolaus Papa eruditionem Photio non denegat.

τικῆς [1] μὲν γὰρ καὶ ποιήσεως, ῥητορικῆς τε καὶ φιλοσοφίας, καὶ δὴ καὶ ἰατρικῆς καὶ πάσης ὀλίγου δεῖν ἐπιστήμης τῶν θύραθεν τοσοῦτον αὐτῷ τὸ περιόν, ὡς μὴ μόνον σχεδὸν φάναι τῶν κατὰ τὴν αὐτοῦ γενεὰν πάντων διενεγκεῖν, ἤδη δὲ καὶ πρὸς τοὺς παλαιοὺς αὐτὸν διαμιλλᾶσθαι. Πάντα γὰρ συνέτρεχεν ἐπ' αὐτῷ, ἡ ἐπιτηδειότης τῆς φύσεως, ἡ σπουδή, ὁ πλοῦτος, δι' ὃν καὶ βίβλος ἐπ' αὐτὸν ἔρρει πᾶσα· πλέον δὲ πάντων ὁ τῆς δόξης ἔρως, δι' ὃν αὐτῷ καὶ νύκτες ἄϋπνοι περὶ τὴν ἀνάγνωσιν ἐμμελῶς ἐσχολακότι.

Migne PG 105: 512 A-B.

ἐν ἓξ ταῖς ὅλαις ἡμέραις χερσὶν ἀνθρώπων τελειούμενος, τῆς ἐπιθυμουμένης ἐπελαμβάνετο καθέδρας· καὶ ἦν ἀληθῶς ἐκεῖνον ὁρᾶν αὐθήμερον ἅγιον πλαττόμενον, κατὰ τὴν παροιμίαν. Πρώτῃ [2] γὰρ ἡμέρᾳ μοναχὸς ἀντὶ λαϊκοῦ, τῇ δευτέρᾳ δὲ ἀναγνώστης, καὶ ὑποδιάκονος τῇ ἑξῆς, εἶτα διάκονος, εἶτα πρεσβύτερος· ἔπειτα τῇ ἕκτῃ (Χριστοῦ δὲ ἦν τὰ γενέθλια) καὶ αὐτὸς τῷ ἱερατικῷ προσβὰς θρόνῳ, τὴν εἰρήνην τῷ λαῷ προσεφώνει, μηδὲν τῆς ἀληθινῆς εἰρήνης ἄξιον ἐννοούμενος.

---

seos, rhetoricae et philosophiae, quin et medicinae, et omnium fere disciplinarum externarum cognitione tantopere florebat, ut aevi sui facile princeps haberetur, imo et cum veteribus iam certare posset. Omnia quippe in illo concurrebant, aptitudo naturae, studium, opes, quibus omnes libros sibi comparabat; et inprimis gloriae amor quo incensus noctes ut lectioni assidue vacaret ducebat insomnes.

Intraque sex dies manibus hominum initiatus, concupitam ecclesiae cathedram invasit. Eratque vere cernere ut fertur adagio extemporalem fictitiumque, seu personatum sanctum. Nam primo die monachus ex laico, altero lector, tum subdiaconus, ac diaconus et presbyter; sexto deinde, qui fuit Christi natalis, et ipse sacrum conscendens thronum, pacem populo, nihil vera pace dignum cogitans, nuntiavit.

---

[1] de studiis superioribus Byzantii medio aevo: Friedr. Fuchs, *Die höheren Schulen von Konstantinopel im Mittelalter*. Byzantinisches Archiv. Heft 8. Leipzig-Berlin 1926. — [2] 20 dec. 858.

Ἦν δὲ αὐτῷ καθηγητὴς καὶ ἱεροτελεστὴς τὰ πάντα Γρηγόριος ἐκεῖνος ὁ καλούμενος Ἀσβεστᾶς, ὅν ποτε καὶ Συρακούσης μὲν ἐπίσκοπον ἔφασαν γενέσθαι, ἐπ᾽ ἐγκλήμασιν δέ τισιν εἰς τὸ Βυζάντιον κατηγορούμενον, ἤδη δὲ καὶ ὑπὸ τῆς τῶν Ρωμαίων ἐκκλησίας ὡς παρὰ κανόνας πράξαντα, καθῃρημένον. Ἰγνάτιος ἄρτι πρῶτον χειροτονεῖσθαι μέλλων, μὴ παρεῖναι τοῦτον τῇ χειροτονίᾳ διεπέμψατο, ἄχρις οὗ τὰ κατ᾽ αὐτόν, φησί, ἐπὶ σχολῆς ἀκριβέστερον διαγνωσθῇ.

4.

Photius S. Nicolao I Papae.

860.

Migne PG 102; 588 C-589 B.

Photius postquam in prooemio dignitatem patriarchalem in genere descripsit, incipit de sua electione narrare.

Ἄρτι τοιγαροῦν τοῦ πρὸ ἡμῶν ἱερατεύειν λαχόντος, τῆς τοιαύτης ὑπεξελθόντος [1] ἀξίας, οὐκ οἶδ᾽ ὅπως ὁρμηθέντες ἐπίθενταί μοι κραταιῶς, ὅσοι τε κλήρῳ κατειλεγμένοι ἐτύγχανον, καὶ

Erat huic auctor et initiatior in omnibus Gregorius ille cognomento Asbesta, quem Syracusanum olim pontificem fuisse ferunt, tum Constantinopoli de facinoribus quibusdam accusatum, et iam a Romanorum ecclesia condemnatum, quod contra canones peccasset. Hunc Ignatius, cum esset (patriarcha) consecrandus, ne initiationi suae interesset, admonuit, donec causa ipsius per otium diligenter cognosceretur.

Nuper itaque, cum is, cui ante nos sacerdotio fungi obtigerat, eo honore abiisset, nescio quomodo impulsi magna vi me aggrediuntur, et qui censebantur in clero, et episcoporum metropolitarumque conventus, et ante hos, cumque iis pietate

---

[1] tacet de violenta depositione S. Ignatii, quamvis in eadem epistola obligationem veritatis dicendae inculcet « τί γὰρ οὐ χρὴ λέγειν τἀληθές; quid enim? Verum dicendum non est? ».

τῶν ἐπισκόπων τε καὶ μητροπολιτῶν τὸ ἄθροισμα, καὶ πρό γε τούτων καὶ σὺν αὐτοῖς ὁ φιλευσεβὴς καὶ φιλόχριστος καὶ (τί γάρ οὐ χρὴ λέγειν τἀληθές;) οὐδ' ἔχων ἄλλων τῶν πρὸ αὐτοῦ βεβασιλευκότων τῇ ἐπιεικείᾳ ἐξισούμενον, ἐμοί δ' ἀφιλάνθρωπός τις ἐδόκει τότε, βίαιός τε καὶ λίαν φοβερός. Οὐδὲ γάρ, οὐδὲ μικρὸν ἦν ἐνδιδοὺς τῆς ἅμα παντὶ τῷ προειρημένῳ τῶν ἱερέων πληρώματι ἐπιθέσεως. Ἀλλ' ὁ μὲν πρόφασιν τοῦ μὴ μεθήσειν ἐποιεῖτο τὴν ὁμόψηφον τῶν ἱερέων ὁρμὴν καὶ σπουδήν, καὶ ὡς οὐκ ἂν δύναιτο καὶ βουλόμενος ἐκτελέσαι τὴν αἴτησιν. Τοῖς δ' ἐπεὶ πολὺ πλῆθος συνείλεκτο, οὐδ' οἱ τῆς παρακλήσεως ἡμῶν λόγοι καθαρῶς αὐτοῖς προσεφέροντο. Οἷς δ' ἂν καὶ προσέπιπτον, οὐ προσίεντο. Ἓν δὴ τοῦτο καὶ μελητήσασι, καὶ λέγειν ἐξασκήσασιν, τὸ δεῖν ἐμὲ πάντως καὶ μὴ βουλόμενον τὸ φορτίον τῆς ἐπιστασίας αὐτῶν ἀναδέξασθαι.

Ἐπεὶ δέ μοι πανταχόθεν αἱ ὁδοὶ τῶν ἐν τοῖς λόγοις παρακλήσεων ἀπεφράττοντο, προεπήδα τὰ δάκρυα καὶ ἡ τῆς ἀπορίας ἀχλὺς τὰ ἔνδοθεν πάντα πληρώσασα τῆς συγχύσεως, καὶ μέχρις αὐτῶν γε τῶν ὀμμάτων προσαράξασα εἰς ῥεῖθρον μετεσκευάζετο. Καὶ γὰρ ἐφάπαξ ὁ λογισμὸς τῆς ἐκ λόγων ἀπειρηκὼς σωτηρίας

---

praestans Christumque diligens imperator, et benignus nec, (quid enim? verum dicendum non est?) quemquam eorum, qui ante ipsum imperarunt, aequitate parem habens, mihi vero tum inhumanus quidem visus ac violentus admodumque formidandus. Is enim una cum commemorato sacerdotum coetu nihil remittebat de vi (et impressione mihi facienda). Sed quamobrem me dimissurus non esset, excusatione utebatur consentientis sacerdotum voluntatis et studii; seque etiam si vellet, non posse postulatum meum perficere. Ad (sacerdotes) autem (magnus enim numerus convenerat) ne obsecrationis quidem meae verba clare perveniebant. Si quibus vero ea incidebant, non recipiebant, cum hoc unum et meditati essent, et dicere instituissent, me omnino vel nolentem hoc antistitis onus suscipere oportere.

Postquam vero omnes mihi viae precum verbis faciendarum obstructae sunt, prosiliebant lacrimae, ac desperationis caligo cum omnia interiora confusione implesset, et in ipsos usque oculos irrupisset, in rivum mutabatur. Nam cogitatio (desperata

εἰς ἱκετηρίαν τὴν φύσιν αὐτήν, καὶ τὰ δάκρυα προὐβάλλετο, βοηθείας τινὸς καὶ ἐπικουρίας δι' αὐτῶν ἐλπίσας τυχεῖν, εἰ καὶ διεψεύσθη τοῦ βουλήματος. Οὐδ' οὕτω γὰρ ἀνῆκαν οἱ βιαζόμενοι, μέχρις ἂν ὅπερ ἐμοὶ μὲν ἀβούλητον, ἐκείνοις δὲ ὅπερ ἦν εὐχῆς ἔργον διεπέπρακτο. Καὶ οὕτω λοιπὸν εἰς μέσους τοὺς θορύβους, οἷς ὁ πάντα εἰδὼς κρίμασιν ἐπίσταται, διακαρτερῶ καθιστάμενος. Ἀλλά, δρυὸς[1] μὲν ἅλις, εὔκαιρον εἰπεῖν τὴν παροιμίαν.

Ἐπεὶ δὲ πασῶν ἀρίστη κοινωνία ἡ κοινωνία τῆς πίστεως καὶ τῆς ἀληθοῦς ἀγάπης, τοῦτο δὴ τὸ αἰτιώτατον, ὡς ἂν τὸν πρὸς τὴν ὑμετέραν ὁσιότητα καθαρόν τε καὶ ἀδιάσπαστον δεσμὸν ἐργασώμεθα, χρῆναι καὶ τὰ τῆς ἡμῶν καὶ ὑμῶν πίστεως ὡς ἐν βραχέσι στηλογραφῆσαι διεγνώκαμεν, ἐντεῦθεν τάς τε ὑμετέρας εὐχὰς θερμότερον ἐπισπώμενοι, καὶ τὴν ἡμετέραν πρὸς ὑμᾶς διάθεσιν ἀναπτύσσοντες[2].

semel salute verbis consequenda) naturam ipsam ad supplicationem et lacrimas excitabat, his sperans auxilium et opem nancisci se posse, quamvis proposito suo deciderit. Nec enim sic cessabant a vi, quoad contra voluntatem meam, illorum vero ex sententia res perfecta est. Sic in mediis de caetero tumultibus, iis iudiciis, quae scit qui novit omnia, toleranter tego. Sed, tempestivum est dicere proverbium « satis ligni ».

Quoniam vero omnium optima communio est fidei communio maximaque causa verae dilectionis, ut id cum vestra sanctitate purum et indissolubile vinculum faciamus, censuimus nostram vestramque fidem breviter tamquam in columna scribendam. Inde orationes vestras ferventius attrahentes, nostrumque in vos affectum explicantes.

[1] forsan δρυόχων BALLETTAS. — [2] sequitur Professio Fidei, cuius tenor verbotenus concordat cum alia epistola Photii probabiliter eodem tempore ad patriarchas orientales missa. MIGNE PG 102, 1020 D-1024 D.

5.

S. Nicolaus I Papa Photio.

25 Sept. 860

PERELS 440; MIGNE PL 119, 780.

Nicolaus Episcopus Servus Servorum Dei
Photio Constantinopoleos.

Omnis utilitas et profectus animarum catholica fide munitur et dilectione evangelii tuetur, quae omnes intra se conclusos salvat et extra se positos suos non aestimat. Unde directionis vestrae sumptis apicibus [1] laetificati sumus, quia vos catholicum in eis cognovimus. Nam ibi prudentiae vestrae utilitatem intelleximus ideoque multas gratias Deo omnipotenti retulimus, quia vestrum scire de catholico fonte manare experti sumus. Sed rectum vos ordinem non tenuisse doluimus, eo quod non per gradus ecclesiae ductus ad tantum honorem de laicali habitu vos prosiluistis, cum oporteret vestram prudentiam ita canonice vixisse in clericali ordine, ut nihil extra canonica instituta agentes tempore congruo atque ascensu legitimo constitueremini ecclesiae pastor. Vos itaque hoc praetermittentes contra statuta patrum egisse manifestum existit. Nam Sardicense concilium [2] per omnia tantae temeritatis praesumptionem vetuit; pariter et sanctorum pontificum Romanae sedis Caelestini doctoris egregii, Leonis sanctissimi, cuius laus in quarta synodo clara existit, seu Gelasii doctrina et meritis acque beatissimi — horum videlicet instituta hoc prohibuerunt, ut talis ordinatio fieri non praesumeretur.

[1] prima epistola Photii ad S. Nicolaum I; MIGNE PG 102, 585 sqq. — [2] citationes ampliores inveniuntur in epistola Nicolai ad Michaelem III Imperatorem simul missa: PERELS 435-436. Papa citat can. 13 concilii Sardicensis (MANSI III, 27) Caelestini I epistolam ad episcopos Apuliae et Calabriae (MIGNE PL 67, 278) Leonis Magni epistolam ad Anastasium episcopum Thessalonicensem (MIGNE PL 67, 293), Gelasii epistolam ad episcopos Lucaniae (MIGNE PL 67, 303).

Quapropter vestrae consecrationi consentire modo non possumus, donec nostri [1], qui a nobis Constantinopolim sunt directi, revertantur, qualiter per eos cognoscamus vestrae observationis actus et ecclesiasticae utilitatis constantiam et quo studio circa catholicae fidei defensionem exerceatis. Et tunc, si dignum fuerit, ut tantae sedis praesulem, ceu convenit, honorabimus et fraterna dilectione amplectemur.

Data mense ut supra die XXV indictione VIIII.

6.

Synodus Constantinopolitana.

Maio 861.

De synodo Constantinopolitana 861 aliqua narrantur in epistolis Nicolai I Papae, in actis concilii VIII oecumenici et in libello S. Ignatii per Theognostum archimandritam Romam 862 misso. *Acta* ipsa synodi nunc desunt.

THEOGNOSTUS, *Libellus S. Ignatii:* MANSI, XVI 296 D.

Ὡς δὲ παραστῆναι ἐκελευόμεθα εἰς τὸ Καιαφαϊκὸν ἐκεῖνο κριτήριον, ἐκράξαμεν ἐπὶ τῆς Ὑμῶν ἁγιότητος προσκαλούμενοι κριθῆναι, ἀλλ᾽ οὐδεὶς ἦν ὁ ἀκούων. Μετὰ τοῦτο μετάκλητοι πάλιν γενόμενοι ἠρωτήσαμεν· πῶς κελεύετε ἡμᾶς, ὦ πατέρες, πρὸς ὑμᾶς παραγενέσθαι; Ὡς μοναχοὺς καὶ καταδίκους, ἢ ὡς κριθησομένους; Καὶ ἀντέπεμψαν ἡμῖν· ὅτι ὡς ἐστὲ ἄξιοι. Ἐφορέσαμεν οὖν τὰς ἱερατικὰς στολὰς καὶ οὕτως ἐχωροῦμεν πρὸς τὸ συνέδριον, ἢ μᾶλλον εἰπεῖν, ληστήριον. Καὶ ὡς πλησίον γεγόναμεν, πέμψας ὁ τύραννος ἐπὶ τῆς λεωφόρου, τὴν ἱερὰν ἀποδύει στολήν.

Nos vero ut iussi sumus ad illud tribunal Caifanum comparere, ad sanctitatis vestrae iudicium magno clamore provocavimus. Sed non erat, qui nos audiret. Deinde rursus citati rogavimus; quomodo nos, o patres, iubetis comparere? Ut monachos et damnatos, an ut iudicandos? Qui responderunt; perinde, ut digni estis. Sacro igitur ornatu induti ad concilium, immo latrocinium, perreximus. Cumque iam prope adessemus, tyrannus misit in publicam viam, qui sacris vestibus nos exuerent.

---

[1] Radoaldus et Zacharias episcopi.

297 A

Ραδούαλδον καὶ Ζαχαρίαν ἐζήτουν προσαγορεῦσαι τοὺς τοποτηρητάς. Καὶ ἐνδοθέντος μοι, προσηγόρευσα· οὓς καὶ ἠρόμην τὴν ἐπιδημίας τῆς σφῶν αἰτίαν. Οἱ δὲ εἶπον· τοποτηρηταί ἐσμεν Νικολάου πάπα Ῥώμης καὶ ἀπεστάλημεν κρῖναι τὰ κατὰ σέ. Πάλιν ἠρόμην, εἰ γράμμα μοι κεκομίκασι τῆς ἁγιωσύνης σου. Οἱ δὲ εἶπον, μὴ ἔχειν, διὰ τὸ μηδὲ πρὸς πατριάρχην ἔρχεσθαι, ἀλλὰ πρὸς τὸν ὑπὸ τῆς οἰκείας συνόδου καθαιρεθέντα, καὶ ἕτοιμοί ἐσμεν τὰ κατὰ κανόνας πράττειν. Οὐκοῦν, ἔφην ἐγώ, πρότερον ἐκ μέσου τὸν μοιχὸν ποιήσατε· εἰ δὲ μὴ τοῦτο δύνασθε, οὐδὲ κριταί ἐστε. Ἐκεῖνοι δὲ ἀντέφρησαν πάλιν, δείξαντες τῇ χειρὶ τὸν κρατοῦντα· οὕτω θέλει ἐκεῖνος.

297 D.

Ὑμᾶς ἐγὼ κριτὰς τοιούτους οὐ δέχομαι, ἀλλὰ πρὸς τὸν πάπαν με ἀπαγάγετε, κἀκεῖθεν τὴν κρίσιν ἀσμένως δέχομαι. Τοῦτο καὶ οἱ σὺν ἐμοὶ πάντες ἐξεβόησαν. Εἶτα τὰς προδηλωθείσας ἐπιστολὰς ἀναγνῶναι ἐζητήσαμεν αὐτούς. Κανονικαὶ γὰρ ἀποδείξεις ἐν αὐταῖς ἐνεφέροντο τοῦ Ἰννοκεντίου [1] πάπα ὑπὲρ τοῦ ἐν

Rogavi, ut Radoaldum et Zachariam legatos liceret mihi salutare, factaque potestate eos salutavi, atque interrogavi de causa eorum commorationis. Legati, inquiunt, sumus Nicolai papae Romae, causae tuae cognoscendae gratia missi. Querenti rursum, an a sanctitate tua litteras ad me haberent, responderunt, nullas se habere, eo quod non ad patriarcham, sed ad damnatum a provinciali synodo venirent. Parati sumus (aiebant) iuxta canones agere. Ergo, inquam, prius adulterum removete; quod si facere non potestis, ne iudices quidem estis. Qui manu imperatorem indicantes responderunt; ita vult ille.

Huiuscemodi ego iudices non agnosco, sed ad papam me citate, abhinc iudicium libenter accipio. Hoc idem, qui mecum erant, magna voce clamitarunt. Deinde, ut antedictae epistolae legerentur, postulavimus. Canonicae sanctiones enim in eis con-

---

[1] Probabiliter allusio ad epistolam Innocentii I ad Theophilum Alexandriae Archiepiscopum. PALLADIUS. *Dialogus historicus*; MIGNE PG 47, 12-13.

ἁγίοις Χρυσοστόμου· ὅτι οὐ δεῖ Ἰωάννην εἰς τὸ δικαστήριον εἰσελθεῖν, πρὶν αὐτὸν εἰς τὸν οἰκεῖον ἀποκαταστῆναι θρόνον. Καὶ τῆς ἐν Σαρδικῇ[1] κανὼν δ', ὡς ἐάν τις ἐπίσκοπος καθαιρεθῇ καὶ λέγῃ πάλιν ἔχειν ἀπολογίαν, μὴ πρότερον εἰς τὴν καθέδραν αὐτοῦ ἕτερον ἀντικαταστῆναι, πρὶν ἂν τὸν τῆς Ῥωμαίων ἐκκλησίας ἐπίσκοπον ὅρον περὶ τούτου ἐξενεγκεῖν.

7.

Apologia Photii.

862.

Photius in epistola secunda ad Papam Nicolaum I apologiam sat prolixam causae suae facit.

Migne PG 102; 600 D-601 A.

Ἀλλὰ κανόνες, φησί, παρεβάθησαν, ὅτι πρὸς τὸ τῆς ἀρχιερωσύνης ὕψος ἀπὸ λαϊκοῦ προῆλθες τοῦ σχήματος. Καὶ τίς ὁ παραβάς, ὁ βιασάμενος, ἢ ὁ βίᾳ καὶ ἄκων ἀνελκυσθείς; Ἀλλ' ἐχρῆν ἀντισχεῖν. Μέχρι τίνος; Ἀντέσχον δὲ καὶ πέρα τοῦ δέοντος. Εἰ δ' οὕτω μοι προῄδειν τὸ κλυδώνιον τῶν πονηρῶν πνευμάτων μέλλειν ἐπιτραχύνεσθαι, ἀντέσχον ἂν καὶ μέχρις αὐτοῦ

---

tinebantur Innocentii papa pro S. Chrysostomo, Ioannem non debere ad tribunal comparere, priusquam throno suo esset restitutos. Et canon IV concilii Sardicensis: Si quis episcopus fuerit depositus, dicatque se habere defensionem, non prius sufficiatur in eius locum alius, quam de eo Romanorum ecclesiae episcopus decernat.

At canones, inquit, violati sunt, quod ad pontificatus fastigium e laicorum ordine ascendisti. Sed quis violavit? Is qui vim irrogavit, an qui per vim et invitus attractus est? Sed resistere oportuit. Quousque? Restiti enim et plus quam oportuit. Quod si sic providissem procellas ventorum infestorum saeviores fore, restitissem etiam usque ad ipsam mortem. Quales au-

[1] Mansi III, 9 A.

θανάτου. Ποῖοι δὲ κανόνες, ὧν ἡ παράβασις, οὓς μέχρι καὶ τήμερον (ἡ)[1] Κωνσταντινουπολιτῶν ἐκκλησία οὐ παρείληφεν; Ἐκείνων λέγεται παράβασις, ὧν ἡ φυλακὴ παραδέδοται. Ἃ δὲ μὴ παραδέδοται, οὐδὲ μὴ φυλασσόμενα παραβάσεως φέρει ἔγκλημα.

605 A-B.

Οὕτω πλὴν τοῦ ἑνὸς τὰ ἄλλα σάββατα συντηρεῖν ἡμῖν ἐπιλήψιμον, ἑτέροις δὲ καὶ τοῦ ἑνὸς πλείω νηστεύεται. Καὶ φεύγειν τὴν μέμψιν ἡ παράδοσις οἴεται τῷ ἔθει κατακρατεῖν τοῦ κανόνος ἐκνικήσασα. Καὶ νομίμῳ γάμῳ γυναικὶ συναφθέντα οὐκ ἔστιν εὑρεῖν ἐν Ῥώμῃ πρεσβύτερον, ἡμεῖς δὲ καὶ τοὺς μονογαμίᾳ τὸν βίον ῥυθμίζοντας εἰς πρεσβυτέρου φέρειν βαθμὸν ἐδιδάχθημεν, καὶ τούς γε διακρινομένους ἐξ αὐτῶν λαβεῖν τοῦ Κυριακοῦ σώματος τὴν μετάληψιν, πανταχόθεν ἀποκλείομεν ἐξ ἴσου, τούς τε πορνείαν νομοθετοῦντας, καὶ τοὺς γάμου νόμον ἀναιροῦντας λογιζόμενοι. Πάλιν ἄν τις παρ᾽ ἡμῖν τὴν τοῦ πρεσβυτέρου παρελθὼν χειροτονίαν τὴν τοῦ ἐπισκόπου τῷ διακόνῳ περιθείη, ὡς εἰς

tem canones hi, quorum (asseritur) praevaricatio? Quos ad hunc usque diem Constantinopolitanorum ecclesia non accepit. Illorum ducitur transgressio, quorum custodia est tradita. Quae vero tradita non sunt, non custodiuntur, transgressionis non inferunt crimen.

Ita praeter unum, alia sabbata observare, nobis reprehensione non caret, aliis vero plura uno ieiunantur. Ac traditio putat se effugere vituperationem, quia consuetudine canonem pervicit eoque potior fuit. Legitimis nuptiis presbyter Romae uxori coniunctus non invenitur; nos vero eos qui unico coniugio vitae suae moderati sunt, edocti sumus in presbyteri gradum efferre, eosque qui hoc in discrimine ponunt ac se secernunt, ne ab his Domini corporis participationem capiant, undique excludimus, eodem loco ducentes eos, qui legem aut fornicationis sanciunt aut nuptiarum tollunt. Item, si quis apud nos presbyteri ordinationem praeteriens episcopi dignitate diaconum affecerit, ut-

[1] ἐν Migne.

τὰ καίρια ἐξημαρτηκὼς κατακρίνεται. Τισὶ δὲ παραπλήσιον ἀπὸ πρεσβυτέρου προάγειν ἐπίσκοπον, καὶ ἀπὸ διακόνου τὴν μέσην τάξιν ὑπεραλλόμενον εἰς τὸ τῆς ἐπισκοπῆς ἀναρπάζειν ἀξίωμα, καίτοι γε ἡλίκον καὶ ὅσον τὸ μέσον ἐν τούτοις;

---

pote qui maxime deliquerit, condemnatur. Quibusdam vero pari ducitur loco, e presbytero provehere episcopum, et e diacono, medium transilientibus ordinem, ad episcopi abripere dignitatem. Et quidem inter haec quantum interest?

8.

Responsum S. Nicolai ad Photii apologiam.

18 martio 862.

Perels 447-451; Migne PL 119, 785-790.

Nicolaus Episcopus Servus Servorum Dei Prudentissimo Viro Photio.

Postquam beato Petro principi apostolorum dominus ac redemptor noster Iesus Christus ex utero virginis pro nostra redemptione, ut erat verus Deus ante saecula, verus homo in fine saeculorum apparere dignatus est, ligandi atque solvendi in caelo et in terra potestatem tribuit et ianuas regni caelestis reserandas concessit, supra soliditatem fidei suam sanctam dignatus est stabilire ecclesiam, secundum illius veridicam vocem dicentis [1]: « Amen, dico tibi tu es Petrus et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam; et tibi dabo claves regni caelorum; et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in caelis, et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in caelis ». Ad quam promissionem sanctae apostolicae institutionis cimento coeperunt huius fundamenta ex preciosis succrescere lapidibus et annuente divina clementia per studium structorum et apostolicae auctoritatis sollicitudinem usque ad culmen insolubiliter

---

[1] Matth. XVI, 18-19.

perducta perpetualiter mansura sine sinistrae aurae inpulsu consistere. Cuius primatum, sicut omnibus orthodoxis manifestum est viris, ceu in superioribus praemodicum declaratum est, beatus Petrus, princeps apostolorum et ianitor regni caelestis, merito promeruit; post quem et huius vicarii sincerissime Deo famulantes carentes nebularum densitatibus, quae recto itineri impedire assolent, dignius perceperunt et cura regiminis, quam pro dominicis ovibus susceperant, sollicite permanserunt. Inter quos et nostram parvitatem omnipotentis Dei misericordia connumerare dignata est; pro quibus tantum consistimus pavidi, quantum consideramus in aeterno examine pro omnibus et prae omnibus, qui Christi censentur nomine, rationem reddituri. Et quia universitas credentium ab hac sancta Romana ecclesia, quae caput omnium est ecclesiarum, doctrinam exquirit, integritatem fidei deposcit, criminum solutionem qui digni sunt et gratia Dei redempti exorant, oportet nos, quibus commissa est, sollicitos esse et ad speculationem dominici gregis tantum ferventius anhelare, quantum hunc avidi lupi ad dilaniandum hinc inde patentia ora exquirunt, quod et audiendo cognoscimus et experiendo comprobamus. Et quos per corporalem et longinqua terrarum spatia aut tumentes marinos fluctus nequimus visitare praesentiam, saltem series apicum quasi viva ora declarent, ut nec a nobis silentii exquiratur culpa nec audituris de ignorantia excusandi tribuatur facultas, quia et illud a nobis cavendum est, quod per prophetam dicitur [1]: « Canes muti non valentes latrare ». Nam et apostolus ait [2]: « Insta oportune, importune ». Constat enim sanctam Romanam ecclesiam per beatum Petrum principem apostolorum, qui dominico ore primatum ecclesiae suscipere promeruit, omnium ecclesiarum caput esse et ab ea rectitudinem atque ordinem in cunctis utilitatibus et ecclesiasticis institutionibus, quas secundum canonicas et synodicas sanctorumque patrum sanctiones inviolabiliter atque inrefragabiliter retineret, exquirere ac sectari. Et ideo consequens est, ut, quod ab huius sedis rectoribus plena auctoritate sancitur, nullius consuetudinis praepediente occasione proprias tantum sequendo voluntates removeatur, sed firmius atque inconcusse teneatur.

[1] Isaias LVI, 10. — [2] 2 Tim. IV.

Nam in hoc, quo noster apostolatus vestram prudentiam commonuit, quia ex laicali ordine sine canonica approbatione ad patriarchatus dignitatem subito transcendere contra patrum promulgationes non recusastis, sed temere atque inpudenter ad tanti honoris culmen accedere praesumpsistis, assumentes vobis quasi a sanctissimo viro Nectario [1] occasionem, quem sancta secunda synodus non ob aliud ad sacerdotalem eligere atque ordinare ex laicali ordine voluit dignitatem, nisi quia magnae necessitatis contritione anxiabatur, eo quod in sancta Constantinopolitana ecclesia nullus clericorum inveniri poterat, qui pessimae hereseos nimbosa caligine non fuerat impeditus ; et ob hoc, ne diu iam dicta ecclesia sub distitutione pastoris quasi viduata maneret, praedictum Nectarium expugnatorem haereticorum et defensorem atque gubernatorem ecclesiarum ad ecclesiasticam curam et dignitatem sacerdotalem iam fata secunda sancta synodus elegit, sed ut hoc iterum fieret non confirmavit neque sanxit aut instituit. Et ideo licet contra patrum atque canonicas institutiones, quod per necessitatis fieri eventus comprobatur, non in auctoritate tenendum est, sed, ne iterum talis proveniat necessitas, magis magisque cavendum ; quia omne, quod ab aliis reprehendi poterit, convenientius ac decentius videtur existere, si antequam fomes reprehensionis accrescat, emendationis cura succedat.

De Tarasii [2] siquidem promotione, qui similiter ex laicali coetu ad patriarchatus extemplo culmen promotus est, quam et vos quasi in auctoritatem vestrae defensionis assumere vultis, si sanctam, quae apud vos tempore sanctissimi viri domni Hadriani [3] papae celebrata est, synodum [4] diligentius scrutati fueritis atque attentius intenderitis, invenietis, quid in ea idem sanctissimus vir consultus decreverit et quod, dum eius consecrationis reprehenderet actus, et merorem se pro tam praesum-

[1] Archiepiscopus Constp. 381-97; de eius electione in concilio III oecum.: Hefele-Leclercq II, 10. — [2] Patriarcha Constp. 25 dec. 784-806, avunculus Photii; de eius electione: Hefele-Leclerq III, 2: 743-744. — [3] Hadrianus II, 867-872. — [4] Concilium VII oecum. Nicaeae habitum 787.

tiva factione nimium sustinere profiteretur. Dicit [1] enim: Quod nisi in erigendis imaginibus ferventius contra illarum depositores atque conculcatores ut verus miles Christi resisteres, nequaquam vestrae consecrationi assensum praeberemus aut in ordine patriarchatus vestram dilectionem susciperemus, quae tantum declaratur inordinate promota, quantum comprobatur contra apostolica decreta inormiter praesumpta.

Beatissimum quoque Ambrosium [2], clarissimam et splendidissimam lucernam ecclesiae, qui ex caticumino divino praesagio ad episcopalem per continuos gradus promotus est dignitatem, cur nobis pro vestro tutamine obponitis et ad vestram inlicitam promotionem antefertis, qui non instinctu hominum, sed divina vocatione per miraculorum prodigia electus est? Nam cum in infantiae cunis sub nutricis cura dormiens sollicite verteretur, aperto ore ecce examen apum subito affuit, quod faciem eius et ora complevit, ita ut ingrediendi et egrediendi vices frequentarent. Quem pater cum matre vel filia deambulans, ne abicerentur ab ancilla, quae curam nutriendi infantis susceperat, prohibebat; sollicita enim erat, ne infanti nocerent. Expectabat tamen patrio affectu, quo fine illud miraculum clauderetur. At illae post aliquandiu volitantes in tantam aeris altitudinem sublevatae sunt, ut humanis oculis minime viderentur. Quo facto territus pater ait: Si vixerit infantulus iste, aliquid magni erit. Post haec vero adultus puer liberalibus artibus inbutus Mediolanum perrexit, ubi Auxentius Arianorum episcopus cathedram non regendam, sed dilaniandam tenebat episcopalem. Quo defuncto, dum ad electionem episcopi popularis fieret in ecclesia conglobatio, ecce quidam infans adclamabat, dicens Ambrosium episcopum; ad quam vocem et omnis illa conventio similiter adclamabat Ambrosium episcopum. Quod non humanis id fieri credendum est voluntatibus, sed divinis ad salvationem et erep-

---

[1] citatio non accurata: MANSI XII, 1077 D, E; est notandum epistolam Hadriani II ad Tarasium, recitatam in concilio VII, fuisse iuxta testimonium Anastasii Bibliothecarii (MANSI XII, 1071 sqq.) a Graecis mutilatam. — [2] Ea, quae narrantur de infantia et electione S. Ambrosii, sunt desumpta ex PAULINO, *Vita Sancti Ambrosii*, cap. 3-9, MIGNE PL 14, 30 sqq.

tionem fidelium de adversarii nostri faucibus, qui [1] tamquam leo rugiens quaerit quem devoret, inspirationibus. Qui dum se multis ac variis voluisset occultare argumentis et a tanto honore delitescere, tandem superatus ad sacerdotalem ab omni populo et clero divinitus est dignitatem electus et a caticumino per singulos gradus ecclesiasticos proficiscens octavo die ab omni catholicorum divina annuente clementia consensu est consecratus episcopus.

Attendat igitur prudentiae vestrae dilectio et intimo cordis prospiciat oculo, si debentur ea, quae per miraculorum signa fidelibus proveniunt, his aequari, quae proprio tantum libitu ad dignitatis gloriam percipiendam peraguntur: et sic ad auctoritatis vestrae excusationem praefatos assumite viros. Ecce propter necessitatem et inopiam clericorum Nectarius, ecce propter ecclesiastica dogmata et hereticorum expugnationem, qui venerandas deponere imagines praesumpserunt, Tarasius, ecce per miraculorum signa Ambrosius ad regendas ecclesias promoti sunt. De vobis autem, quibus perplures auctoritates conciliorum atque decreta sanctissimorum pontificum resistunt, quid aliud est sentiendum, nisi inopinata a vobis consuetudo adolevisse credendum? Et secundum sanctorum patrum sententiam non solum quia ex laicali ordine contra canonicas auctoritates ad regendam Constantinopolitanam ecclesiam subito transvolastis, sed etiam quia vivente viro et incolume persistente – videlicet religiosissimo Ignatio patriarcha – cathedram illius, scilicet Constantinopolitanam ecclesiam, ut moechus subripuistis et invadere praesumpsistis, postponentes illud, quod scriptum est [2]: « Quod tibi non vis fieri, alii ne feceris »; et ideo vestrae consecrationi aequitatis libramina tenentes assensum praebere, quia enormiter et contra sanctorum patrum institutiones peracta est, minime praesumimus.

Quod dicitis vero neque Sardicense concilium neque decretalia [3] vos habere sanctorum pontificum vel recipere, non facile nobis facultas credendi tribuitur; maxime cum Sardicense

---

[1] 1 Petr. V, 8. — [2] Matth. VII, 12. — [3] Papa loquitur de decretalibus authenticis, non de decretalibus Ps.-Isidori quae Papa ante 864 nondum noverat. Paulus Fournier, *Etude sur les Fausses Décretales*.

concilium, quod penes vos in vestris regionibus actum est et omnis ecclesia recipit, qua ratione convenerat, ut hoc sancta Constantinopolitana ecclesia abiceret et, ut dignum est, non retineret? Decretalia autem, quae a sanctis pontificibus primae sedis Romanae ecclesiae sunt instituta, cuius auctoritate atque sanctione omnes synodi et sancta concilia roborantur et stabilitatem sumunt, cur vos non habere vel observare dicitis, nisi quia vestrae ordinationi contradicunt et ex laico subito ad culmen patriarchatus transvolare resistunt, contra illud apostolicum [1]: « Nemini cito manum imposueris »? Quodsi ea non habetis, de neglectu atque incuria estis arguendi; si habetis et non observatis, de temeritate estis corripiendi et increpandi. Quod violenter vos ad sacerdotalem dignitatem promotos asseveratis atque protestamini, vestrae consecrationis tempore non ita esse declaratur; qui, postquam in patriarchatus throno stabiliti estis, non ut pater in filiis blandus, sed ut inmitem in depositione archiepiscoporum et episcoporum per severitatem vos demonstrastis et in damnatione innocentis Ignatii, quem vos ut depositum habetis, immoderate exarsistis, in cuius depositione, nisi prius veracissime illius cognoverimus transgressionem vel culpam, inter depositos illum non numeramus neque damnamus, quia valde cavendum est, ne sine causa innocens damnetur; et sicut illum in pristino mansurum, si eis damnationis crimina non conprobantur, sancta Romana honore retinet ecclesia, sic vos, qui incaute et contra paternas traditiones promoti estis, in patriarchatus ordine non recipit et neque ante iustam damnationem Ignatii patriarchae in ordine sacerdotali vobis manendo consentit.

Quod non ideo vestra arbitretur dilectio contra vos invidiae causa aut exosos vos habendo id agere atque incongrue contra vestram ordinationem exardescere, sed ducti zelo paternae traditionis volentes sanctam Constantinopolitanam ecclesiam, quae pro sui stabilitate atque firmitate censura sanctorum patrum ad

---

Revue d'Histoire Ecclesiastique VIII (1907), 19 sqq. In opusculo recentissimo metropolitae dissidentis Athenarum contra Primatum Pontificis Romani falso attribuitur Nicolao Papa iam 860 citatio Ps.-Isidori.

[1] 1 Tim. V, 22.

hanc sanctam Romanam ecclesiam solito more percurrit, sine macula, sine reprehensione aut aliqua transgressione inlaesam consistere et ea, quae ecclesiasticis regulis obviant, resecare et maxime hoc, quod omni auctoritate canonica revincitur et tali consecrationi contraitur, quod iam per longam consuetudinem quasi regulariter actum defenditis, omnimodis amputare. A qua, quia vos sicut nos diligimus, per increpationem paterni affectus providentiam vestram procul dubio volumus revocare, imitantes apostolum dicentem [1]: Filium, quem diligit pater, flagellando castigat et corripit.

De consuetudinibus quidem, quas nobis opponere visi estis scribentes per diversas ecclesias diversas esse consuetudines [2], si illis canonica non obsistit auctoritas, pro qua eis obviare debeamus, nil iudicamus vel eis resistimus; tamen cavere volumus, ne haec vestra consuetudo, quae omnium sanctorum patrum promulgatione convincitur, ut ex laico non subito ordinetur episcopus, vires accipiat aut in vestra ecclesia magis pullulet, operam dare minime cessamus. Quam etiam nostra apostolica tantum abigit censura, quantum hanc temere recognoscit praesumptam.

De missis siquidem nostris [3], quos petitos in servitio beati Petri principis apostolorum pro utilitate sanctae Constantinopolitanae ecclesiae contra depositores imaginum vel alias ingruentes necnon et pro causa solummodo depositionis saepefati viri Ignatii inquirenda illas in partes direximus, silendum non est. Qui, cum eis, sicut dicunt, per centum dierum spatia omnium nisi suorum loquendi facultas fuisset denegata, ut apostolicae sedis missi non digne suscepti sunt atque, ut decuerat, retenti. Quod non pro alia gestum putamus re, nisi ut inquirendi locum de depositione praefati viri non invenirent; quia — ceu in apostolica nostra insertum fuit epistola, quae nescimus cuius inlusione, sicut in synodo a vobis missa repperimus, fraudata extitit — non illius promotionem aut ingressionem, sed tantummodo depositionis exitum per nostros audire vel cognoscere, sicut nunc volumus, missos volebamus. Quibus secundum horum

---

[1] cf. Hebr. XII, 6, 7. — [2] Migne PG 102, 604 sqq. — [3] Radoaldo et Zacharia episcopis.

relationem longa exilia et diuturnas pediculorum comestiones, si in tali intentione persisterent, quidam minantes quod illis a nobis iniunctum fuit clam vobis cum sequacibus vestris resistentibus perficere minime potuerunt aut depositionem iam dicti Ignatii, utrum iusta an iniusta fuerit, invenire valuerunt, qua cognita secundum sui modum canonica atque apostolica in eo censura extenderetur.

Data mense Martio die XVIII indictione X.

9.

Synodus Romana.

Aprili 863.

NICOLAUS episcopis et fidelibus Asiae et Libyae (13 nov. 866). PERELS 553-565.

De synodo Romana 863, cuius *acta* deperdita sunt, narrationes pretiosas habemus in compluribus epistolis Nicolai Papae, brevissime in fragmento epistolae Nicolai (PERELS 451-452), et ampliore modo in epistolis Nicolai ad S. Ignatium et Photium 13 nov. 866 missis, amplissimo modo in epistola Nicolai ad episcopos ecclesiae Constp. (PERELS 518-522) et ad episcopos Asiae et Libyae 13 nov. 866 (PERELS 556-560); textus de capitulis synodi romanae in his duobus ultimis documentis concordat verbotenus fere.

Tunc convocato multarum provinciarum occidentalium regionum sanctissimorum episcoporum coetu et collecta sancta synodo in ecclesia Dei, ubi beatus Petrus apostolorum princeps corpore floret et virtutibus emicat, deinde propter frigidiorem locum in ecclesia Salvatoris, quae ab auctore appellatur Constantiniana et quae prima in toto terrarum orbe constructa est, ibique recitatis omnibus scripturis de graeco sermone in latinum conversis, tam videlicet nefando synodo [1], quae per iam fatum Leonem [2] apostolicae sedi delata est, quam etiam imperialibus epistolis [3], in quibus omnibus depositio Ignatii continebatur, et deductus in medium Zacharias episcopus — quia Rhadoaldus propter

[1] Synodus Constp. 861. — [2] secretarius imperialis. — [3] hoc documentum Michaelis III nunc deperditum est.

absentiam haberi ad praesens non poterat — et discussus et diligenter examinatus inventus est in depositione Ignatii et communione Photii omnino culpabilis; in quo idem Zacharias tunc episcopus, nunc autem honore ac communione privatus, se obnoxium recognoscens proprio ore ac proprio scripto se Constantinopolim a sede apostolica directum isse et quae sibi a nobis agenda fuerant iniuncta neglexisse ac quae sibi fuerant prohibita peregisse confessus est, Ignatium scilicet sine iussione apostolicae sedis exponendo et Photio contra nostri apostolatus praeceptionem communicando. Tunc decernente sancta nobiscum synodo depositionis et excommunicationis suae sententiam praefatus Zacharias accipiens foveam, quam alii praeparavit, incidit, alterius, id est Rhadoaldi, examinatione propter absentiam usque ad aliam synodum protelata.

Quae autem in eadem venerabili et sancta synodo [1] unanimiter et consonanter de fratre et consacerdote nostro Ignatio patriarcha vel de invasore et usurpatore ecclesiae ipsius Photio atque fautoribus eius necnon et de sacris imaginibus statuimus et promulgavimus, insuper autem, quid in alia synodo [2] a nobis olim collecta decreverimus adversus eos, qui divinitatem domini nostri Iesu Christi cum Valentino, Mani, Apollinari et Eutyche ac sectatoribus eorum contra primum pastorem et apostolum, qui Christum tantum carne passum dicit, passibilem ore sacrilego in quibusdam regionibus vestris praedicare dicuntur, subter annexis capitulis declaratur.

Kapitulum I.

Photius, qui ex schismaticorum et se a sanctae communionis participatione avertentium parte esse dinoscitur, et ex saeculari administratione atque malitia et ex foro subito tonsuratus a Gregorio, Syracusano dudum episcopo a synodo damnato et ab apostolica sede vincto, episcopus ordinatus est et vivente ac superstite consacerdote nostro Ignatio, sanctae ecclesiae Constantinopolitanae patriarcha, sedem ipsius invasit et sponsam, quam a Christo sponso immaculatam custodiendam veluti amicus sponsi perceperat, non per ostium, quod Christus est, sed aliunde

---

[1] Synodus Romana 863. — [2] Synodus Romana 862.

ex adverso in ovile dominicum more furis atque latronis ingrediens acsi violentus, rapax et scelestus adulter irrupit.

Deinde cum damnatis et anathematizatis atque cum his, qui ne sacerdotale officium ante audientiam praesumerent, a decessore meo beatae memoriae Benedicto papa fuerant obligati, cotidie ac indifferenter communicans et conversans contra fidem promissam contraque suam professionem, qua pollicitus est se adversus iam fatum patriarcham nullum sinistrum consilium esse facturum, congregavit concilium et una cum sequacibus suis depositis et damnatis, excommunicatis et anathematizatis et aliis sine sedibus atque cum his, a quibus vel ille inregulariter et inlicite provectus fuerat vel quos ipse temere ac indebite provexerat, contra eundem fratrem et comministrum nostrum Ignatium depositionem facere et anathema dicere ausus est.

Deinde apostolicae sedis missos, quos pro causa sacrarum imaginum et pro inquirenda et nobis renuncianda iam fati patriarchae deiectione et ob inveniendum modum promotionis huius neophyti destinaveramus, quibus potuit argumentis a nostris mandatis avertere more Acacii, quondam Constantinopolitani haeretici patriarchae, praesumpsit et ad [1] processionem, quae ei cum comparibus suis habebatur sicuti eorum professione patefactum est et sancto Spiritu revelante venerandae synodo, quae a nobis collecta est, claruit, ad damnatorum et schismaticorum communionem contempta legatione, quae vel gentilium more servare debuit, pertraxit et in illusionem beati Petri apostoli, a cuius sede profecti fuerunt, non solum inefficaces redire fecit, sed etiam impugnatores omnium, quae fuerunt mandata, monstravit.

Postremo episcopos, qui ei tamquam adultero et pervasori communicare noluerunt, exilio religavit et sui sceleris complices in eorum subrogare locis non timuit et usque hodie ecclesiam Dei diversis persecutionibus impugnare non desinit, ita ut fratrem et coepiscopum nostrum Ignatium sanctissimum patriarcham inauditis poenis et horribilibus tormentis afficere non quiescat, sed et omnes, quotquot pro veritate et fide cum eo-

[1] Felix III Papa ad Acacium. THIEL, *Epistotae Roman. Pontif.* I, 245; MANSI, VII, 1055.

dem persistere comprehenderit, quibus praevalet modis perdere inpraetermisse moliatur.

Haec et similia contra evangelica, apostolica, prophetica atque canonica instituta se efferens sit Dei omnipotentis et beatorum apostolorum principum Petri ac Pauli et omnium simul sanctorum atque venerandorum sex [1] universalium conciliorum auctoritate necnon et Spiritus sancti per nos iudicio omni sacerdotali honore et nomine alienus et omni clericatus officio prorsus exutus, ita ut, si post notitiam huius sanctionis, quam divina inspiratione depromptam esse credimus, dum unanimitate et concordia sanctae synodi sit procul dubio promulgata, temptaverit in Constantinopolitano throno praesidere aut saepefato venerabili coepiscopo nostro Ignatio, quominus ecclesiam sibi commissam sine quavis inquietudine regere possit, inpedierit vel si ulterius ausus [2] fuerit aliquid de sacro ministerio more sacerdotis contingere iuxta praecedentem consuetudinem, nullo modo liceat ei communionis spem aut locum habere satisfactionis, sed anathematis vinculis innodatus una cum communicatoribus suis atque fautoribus suis perpetuo Dei per nostram mediocritatem iudicio ac sententia sacrum corpus et sanguinem domini nostri Iesu Christi nonnisi vicino mortis periculo omnino percipiat: ut haec unusquisque discens nequaquam de caetero temeraria praesumptione ex laicis subito in dominicis castris insperato quodammodo impetu inrepere audeat et principatus amore ante ducatum praestare velit, quam tyronis consumet officium, et ante temptet docere quam discere [3], sicut in eadem Constantinopolitana ecclesia saepe praesumptum esse comperimus, et rursus, ne contemptis clericis, quorum utpote in tam magna urbe copiosa multitudo est quique ab ipsis, ut ita dixerimus, cunabilis impraetermisso labore in ecclesia Christi desudant et indesinentia Domino exhibent servitutis obsequia, is, qui de foris et alterius, ovilis Christi repente principatum arripiat

---

[1] Concilium II Nicaen. tunc nondum universaliter receptum fuit. C. A. Kneller, *Papst und Konzil im ersten Jahrtausend*. Zeitschrift für katholische Theologie XXVIII (1904), 702. — [2] *Concil. Antioch.* can. 4. Mansi, II, 1322. — [3] Allusio ad Coelestini I Papae decreta, can. 16. Migne. PL 77, 275 sq.

et nitatur, quos esse suos non recognoscit, discerpere, et grex dominicus incipiat eum utpote extraneum et improvisum omnino contemnere, praesertim cum perspiciat nil sibi stipendia profecisse meritorum et alienum suorum cernat consumere fructus laborum.

Kapitulum II.

Gregorium sane, qui Syracusanae ecclesiae irregulariter atque Deo contempto praeest, eo quod et ipse ex parte schismaticorum sit et, postquam a synodo [1] episcopatus officio privatus et a decessore meo sanctae memoriae papa Benedicto obligatus est, et Photium laicum subito consecrare in episcopatu non formidavit et [2] de sacro ministerio ausus est multa contingere iuxta praecedentem consuetudinem: sancimus et iuxta canonicam deliberationem apostolica auctoritate diffinimus atque statuimus omni sacerdotali carere atque privatum fore ministerio, ita ut nullo modo liceat ei in qualibet synodo restitutionis spem aut locum habere satisfactionis. Quodsi de reliquo praesumpserit in sacro officio more sacerdotis quovis tempore ministrare, anathema sit. Sed et, si contra fratrem et coepiscopum nostrum Ignatium turbas excitaverit, vel ab eius communione fideles averterit, anathema sit, et omnes communicantes ei ab ecclesia abiciantur, sed et ipsi anathema sint.

Kapitulum III.

Eos vero, quos Photius neophytus et Constantinopolitanae sedis invasor in quolibet ecclesiastico ordine provexit, quoniam manifestum est eos in omnibus consecratoris sui pravitatibus consensisse atque ei post invasionem communicasse, omni clericali officio privamus et apostolica atque canonica auctoritate et synodali decreto eos penitus sequestramus.

Kapitulum IIII.

Reverentissimum et sanctissimum fratrem et coepiscopum nostrum Ignatium, sanctae Constantinopolitanae ecclesiae pa-

[1] Constp. inter 847 et 855. — [2] *Concilium. Antioch.*, can. 4. MANSI, II, 1322.

triarcham, qui primo [1] quidem imperiali violentia ac terrore proprio throno privatus est et postea [2] a Photio, adultero, praevaricatore sedis Constantinopolitanae, et ab eius complicibus, excommunicatis videlicet et anathematizatis atque damnatis et sine episcopalibus sedibus et a decessore meo sanctae recordationis Benedicto papa obligatis hominibus, anathematizatus est et postremo [3] ab apostolicae sedis missis contra nostram praeceptionem, ut sanctae synodo Spiritus sanctus revelavit et Zacharias dudum episcopus, qui unus de eisdem duobus legatis extitit, propria confessione manifestavit, infulis est sacerdotalibus dispoliatus: auctoritate summi iudicis domini nostri Iesu Christi promulgamus, sancimus atque decernimus umquam nec fuisse nec esse depositum vel anathematizatum, tamquam qui ab imperiali potentia sit absque ulla canonica auctoritate [4] pulsus ecclesia et tamquam qui ab obligatis nullo possit haberi vinculo colligatus et ab eis, qui nullam eum iudicandi potestatem vel ab apostolica sede auctoritatem habuerint, nullum sui honoris discrimen pati debuerit.

Et ideo illum, id est eundem fratrem et consacerdotem nostrum Ignatium patriarcham, omni vinculo anathematis ab eo remoto per potestatem divina voce beatissimo Petro collatam et per auctoritates sacrorum canonum et decretalium constitutionum more sanctorum patrum prolatarum pristino honori, pristinae dignitati et sedi, pristino gradui et patriarchio ac pristinis et pontificalibus infulis atque officiis restituimus, statuimus ac confirmamus; ita ut quicumque post notitiam huius apostolicae atque synodicae sanctionis, quominus omnia, quae praemisimus, insignia pontificatus recipiat, ei inpedierit et non in omnibus huic decreto oboedierit vel se ab eius communione separaverit, vel ulterius contra eum aliquod iudicium proferre temptaverit; absque sedis dumtaxat apostolicae praemisso consensu, si quidem clericus fuerit, ab omni clericatus officio coram Deo et hominibus sit alienus atque perenni poena, tamquam qui magistrum prodit, cum Iuda traditore constringatur, et nisi a prava intentione recesserit, perpetuo anathemate maneat condemnatus,

[1] anno 858. — [2] 859 in synodo Constp. — [3] 861 in synodo Constp. — [4] Cf. *can. apost.* c. 31; Migne PL 17, 144.

si vero laicus extiterit ille, quisquis est huic nostrae constitutioni contraire temptans, et eum sedem et omnem pristinam dumtaxat dignitatem recipere non permiserit vel si post receptam priorem sedem denuo illum impellere et a patriarchio expellere temptaverit vel personae ipsius seu sacerdotali honori aliquam molestiam sine primae huius sedis consensu intulerit, omni benedictione paterna privetur et maledictione Chanaan, filii Cham, qui verecundiam patris videns non cooperuit, sed irrisit, multetur et cum parricidis aeterna poena Domino iudicante percellatur et nexibus anathematis nonnisi resipiscens penitus eruatur.

Kapitulum V.

Eos autem episcopos seu cuiuslibet ordinis clericos, qui iniustam deiectionem fratris et coepiscopi nostri Ignatii vel in exilio religati vel ministerio aut gradu invidisse privati sunt, statuimus, ut exilio dissoluto proprias sedes atque gradus recipiant. Quodsi quisquam huic decreto nostro contraire praesumpserit et, ut sedes vel gradus resumant, impedierit quousque obtemperaverit, anathema sit. Sane si quis ex eis ab aliis criminantur, decernimus eos antea sedes quidem et proprios gradus recipere, iudicari autem nisi a sede Romana non patimur, sed, si qua praeter regulam forte egisse dicuntur, nostro eos decreto iudicandos reservari statuimus, iuxta quod et sacri praecipiunt canones [1].

Kapitulum VI.

Quoniam oportet nos maiorum statuta immoto mentis intuitu conservare et in omnibus sanctorum patrum semper dogmata venerari, diffinimus de sacris et venerandis imaginibus Iesu Christi eiusque semper virginis genetricis Mariae omniumque sanctorum, qui Deo ab Abel iusto placuisse creduntur, quae ecclesia sancta in universo orbe diffusa antiquitus accepit quaeque sedis apostolicae praesules pro eis decreverunt ac statuerunt, illibata persistere atque intemerata manere.

---

[1] *Concilii Sardicensis,* can. 3, 8. Mansi, III, 23, 25.

Quapropter Iohannem quondam Constantinopolitanum antistitem [1] et sequaces ipsius, qui eas fregendas atque calcandas esse ore polluto asseverant, quamdiu de his nobiscum non senserint et iuxta sanctorum pontificum romanorum decreta et aliorum decreta et aliorum catholicorum patrum instituta non sapuerint, sancimus eos a Christo et ab ecclesia catholica atque apostolica esse anathema.

10.

Nicolaus Papa accusationes Michaelis III imperatoris repellit.

28 sept. 865.

Michaeli III, qui 865, probabiliter sub influxu Photii, epistolam conviciis plenam contra Papam Nicolaum scripserat, Papa 25 sept. 865 responsum dat, ex quo locos principales sumimus.

PERELS 474-475; MIGNE PL 119, 948 sqq.

Quodsi a nobis quaeritis scire, utpote a ministris [2] Christi et dispensatoribus mysteriorum eius, vobis evidentius ostendemus; si vero nosse parvipenditis et solum contra privilegia ecclesiae Romanae nisus vestros erigitis, cavete, ne super vos convertantur. Durum [3] quippe est vobis contra impetum fluminis reluctari durumque est contra stimulum calcitrare. Porro si nos non audieritis, restat, ut sitis apud nos necessario, quales dominus noster Iesus Christus hos haberi praecepit, qui ecclesiam Dei audire contempserint [4], praesertim cum ecclesiae Romanae privilegia Christi ore in beato Petro firmata, in ecclesia ipsa disposita, antiquitus observata et a sanctis universalibus synodis celebrata atque a cuncta ecclesia iugiter venerata nullatenus possint minui, nullatenus infringi, nullatenus commutari; quonium fundamentum [5], quod Deus posuit, humanus non valet amovere conatus et, quod Deus statuit, firmum validumque consistit, illeque potissimum peccat, qui Dei ordinationi [6] resistere

[1] Iohannes VIII Grammaticus 833-43. — [2] Cf. 1 Cor. IV, 1. — [3] Cf. Eccl. IV, 32; Act. IX, 5, XXVI, 14. — [4] Cf. Matth. XVIII, 17. — [5] Cf. Luc. VI 48; 2 Tim. II 19. — [6] Cf. Rom. XIII, 2.

temptat. Privilegia, inquam, istius sedis vel ecclesiae perpetua sunt; divinitus radicata atque plantata sunt; impingi possunt, transferri non possunt; trahi possunt, evelli non possunt. Quae ante imperium vestrum fuerunt et permanent Deo gratias hactenus illibata manebuntque post vos et, quousque christianum nomen praedicatum fuerit, illa subsistere non cessabunt immutilata. Ista igitur privilegia, huic sanctae ecclesiae a Christo donata, a synod[is] non donata, sed iam solummodo celebrata et venerata, per quae non tam honor quam onus nobis incumbit, licet ipsum honorem non meritis nostris, sed ordinatione gratiae Dei per beatum Petrum et in beato Petro simus adepti, nos cogunt nosque compellunt omnium habere sollicitudinem ecclesiarum Dei... (476). Proinde animadvertendum est, quia non Nicaena, non denique ulla synodus quodquam Romanae contulit ecclesiae privilegium, quae in Petro noverat eam totius iura potestatis pleniter meruisse et cunctarum Christi ovium regimen accepisse.

Post accusationes Michaelis III refutatas Papa novam viam pacis instituendae proponit.

480, 482, 483.

Et quoniam de persona Ignatii atque Photii nihil discretius atqui mitius necnon et salubrius arbitramur, quam ut uterque Romam ad renovandum examen veniat, hoc magnopere volumus et, ut vos annuatis, salubriter ammonemus. Sed hoc secundum indulgentiam concedimus, non licentiam id efficiendi pro libitu cuiuslibet tribuimus... (482) Porro si venire illi per se nequeunt, primo quidem ipsi, cuius rei causa venire non valeant, nobis per satisfactorias suas litteras indicent. Deinde veniant de his, qui cum Syracusano Gregorio sunt, quotquot voluerint, vices ceterorum tenentes, qui ipsius sunt partis. Mittantur etiam de parte Ignatii archiepiscopi quidem Antonius [1] Cyzici, Basilius Thessalonicae, Constantinus Larissae, Theodorus Syracusianorum [2], Metrophanes Smyrnae [3] et Paulus episcopus Ponti

[1] commemoratus in Libello Ignatii; MANSI XVI, 300. — [2] Theodorus utrum praedecessor an successor Gregorii Asbestae fuerit non est certum. — [3] Metrophanes, adversarius principalis Photii, scripsit 870 epistolam ad Manuelem patricium de Photio (MANSI XVI, 413 sgg.). De eo LANIN: VACANT, *Dictionnaire de Theol. Cath.* X, (1929) 1627-28.

Heracliae; egumeni [1] autem Niceta Chrysopoleos [2], Nicolaus Studii [3], Dositheus Osiidii atque Lazarus [4] presbyter et monachus, qui dicitur Chazaris. Qui nisi fuerint missi, suspectos vos reddetis, quia hos, in quibus certificari possumus, a nostris obtutibus subtrahere studiose curatis. Et ideo neminem ceterarum partium ammittemus, nisi forte quos ex latere vestro destinatos esse veraciter valemus agnoscere. Quibus ex utraque parte convenientibus et coram nostra praesentia ac fratrum et coepiscoporum nostrorum auditis, quid quaestionis inter utramque partem emerserit, facilius agnoscamus et canonice finiamus. Mittat nihilominus et Photius ex sua parte quos decreverit, qui modum promotionis suae inreprehensibilem et canonicum, si possunt, edoceant. Necnon et imperialis apex vester, si libet, suos e latere mittat aulicos, qui in praesentia positi, quem iustitia et rectitudo utrisque partibus finem dederit, patenter agnoscant vestraeque pietati renuntient. Hi vero, qui ex latere vestro mittendi sunt, tales sint, qui et Deum timeant et non sint ecclesiasticarum inexpertes traditionum atque veritati obedienter et facile adquiescant.

...(483) Porro si fortassis excellentiae vestrae non placet, quod superius scripsimus pro mittendis ex utrisque partibus legatis, scitote nos nil convenientius aut commodius quam hoc fieri posse penitus invenisse; quamvis et ad hoc ipsum pro vestro imperiali amore et, ne vobis existimemur in nullo satisfacere velle, condescendamus atque, ne minus pacem ecclesiae nos velle sectari, quam semper voluimus, opinemini. Siquidem, ut praetulimus, nulla regula nullaque consuetudo demonstrat sedis apostolicae semel prolatam sententiam, ipsa non annuente, ultra posse mutari.

[1] abbates. — [2] probabiliter Skutari iuxta Constantinopolim. — [3] monasterium Studion Constantinopoli. — [4] Lazarus iam circa 857 Romae fuerat nomine Ignatii patriarchae.

11.

Photii epistola encyclica ad patriarchas orientales.

866.

Photius in hac epistola encyclica ad episcopos orientales vehementer ecclesiam romanam aggreditur, inprimis doctrinam « Filioque ». Orientales deinde ad concilium contra Latinos convocat, ultimo concilium II Nicaenum ut oecumenicum approbat. Accusationes contra Romam hic in lucem edentur.

MIGNE PG 102; 724 CD, 725 A.

Καὶ πρῶτον[1] μὲν αὐτοὺς ἐκθέσμους εἰς τὴν τῶν σαββάτων νηστείαν μετέστησαν. Οἶδε δὲ καὶ ἡ μικρὰ τῶν παραδοθέντων ἀθέτησις καὶ πρὸς ὅλην τοῦ δόγματος ἐπιτρέψαι[a] καταφρόνησιν. Ἔπειτα δὲ τὴν τῶν νηστειῶν πρώτην ἑβδομάδα τῆς ἄλλης νηστείας περικόψαντες, εἰς γαλακτοποσίας καὶ τυροῦ τροφὴν καὶ τὴν τῶν ὁμοίων ἀδηφαγίαν καθείλκυσαν. Ἐντεῦθεν αὐτοῖς τὴν ὁδὸν τῶν παραβάσεων ἐμπλατύνοντες, καὶ τῆς εὐθείας τρίβου καὶ βασιλικῆς διαστρέφοντες, καὶ δὴ[b] καὶ τοὺς ἐνθέσμῳ γάμῳ πρεσβυτέρους διαπρέποντας οἱ πολλὰς κόρας χωρὶς ἀνδρὸς γυναῖκας δεικνύοντες[c], καὶ γυναῖκας παῖδας ἐκτρεφούσας, ὧν οὐκ ἔστι πατέρα θεάσασθαι, οὗτοι τοὺς ὡς ἀληθῶς θεοῦ ἱερεῖς μυσάττεσθαί τε καὶ ἀποστρέφεσθαι παρεσκεύασαν· τῆς Μανοῦ γεωργίας ἐν

Inprimis contra canones ad sabbatorum ieiunia eos traducebant. Solet autem vel parva traditionum neglectio ad totum dogmatis contemptum perducere. Deinde primam ieiuniorum septimanam a caetero ieiunio discerpentes, in lactis potionem, casei esum et similium ingurgitationem traxerunt. Abhinc transgressionum vias eis dilatantes, de recta et regia via deturbarunt; etiam deinceps sacerdotes legitimo matrimonio excellentes, (ipsi) qui multas puellas sine viro mulieres effecerunt et mulieres pueros educantes, quorum patrem videre impossibile est, ipsi, hos vero sacerdotes Dei abominari et vitare docuerunt; Mani culturae apud illos semina serentes, et animas

[a] ἐπιτρίψαι MIGNE. — [b] καὶ δέ MIGNE. — [c] δεικνύντες MIGNE.

[1] De his incriminationibus cf. HERGENRÖTHER, *Photius* I 640,643-45.

αὐτοῖς τὰ σπέρματα κατασπείροντες καὶ ψυχὰς ἄρτι βλαστάνειν ἀρξαμένας τὸν σπόρον τῆς εὐσεβείας τῇ τῶν ζιζανίων ἐπισπορᾷ λυμαινόμενοι. Ἀλλά γε δὴ καὶ τοὺς ὑπὸ πρεσβυτέρων μύρῳ χρισθέντας ἀναμυρίζειν αὐτοὶ οὐ πεφρίκασιν· ἐπισκόπους ἑαυτοὺς ἀναγορεύοντες, καὶ τὸ τῶν πρεσβυτέρων χρίσμα ἄχρηστον εἶναι καὶ εἰς μάτην ἐπιτελεῖσθαι τερατευόμενοι.

725 C-D.

Ἀλλὰ γὰρ οὐχὶ μόνον εἰς ταῦτα παρανομεῖν ἐξηνέχθησαν, ἀλλὰ καὶ εἴ τις κακῶν ἐστι κορωνίς, εἰς [a] ταύτην ἀνέδραμον. Πρὸς γάρ τοι τοῖς εἰρημένοις ἀτοπήμασι, καὶ τὸ ἱερὸν καὶ ἅγιον σύμβολον, ὃ πᾶσι τοῖς συνοδικοῖς καὶ οἰκουμενικοῖς ψηφίσμασιν, ἄμαχον ἔχει τὴν ἰσχύν, νόθοις λογισμοῖς καὶ παρεγγράπτοις λόγοις καὶ θράσους ὑπερβολῇ κιβδηλεύειν ἐπεχείρησαν· ὢ τῶν τοῦ πονηροῦ μηχανημάτων. Τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον οὐκ ἐκ τοῦ Πατρὸς μόνον, ἀλλά γε καὶ ἐκ τοῦ Υἱοῦ ἐκπορεύεσθαι καινολογήσαντες.

---

nuper semen pietatis proferre incipientes, superiore seminatione zizaniorum perdentes.

Sed et chrismate unctos per sacerdotes denuo chrismate ungere non dubitabant; cum se episcopos praedicarent, et presbyterorum chrisma inutile esse ac frustra fieri fabularentur.

Enimvero non in istis tantum peccare sunt inducti, sed in ipsam impietatis coronidem, si quae ulla est, devenerunt. Praeter enim memoratas absurditates sacrum et sanctum symbolum, quod ab omnibus oecumenicorum conciliorum calculis confirmatur, et vim obtinet irresistibilem, sensibus spuriis, verbis ascitiis et audaciae excessu conabantur vitiare. O machinationes diaboli. Spiritum Sanctum non ex solo Patre, sed etiam ex Filio procedere novo more locuti sunt.

---

[a] εἰς *om.* MIGNE.

12.

S. Nicolaus Papa Photio.

13 nov. 866.

Nicolaus Papa monet Photium sub poena excommunicationis, ut throno patriarchali usurpato abdicet.

PERELS 533-540; MIGNE PL 119, 1045-55. Initium et finis huius epistulae concordant magna ex parte cum capitulo I synodi romanae 863.

Nicolaus Episcopus Servus Servorum Dei
Viro Photio.

Innumerabilium repperiris praevaricationum obnoxius et in venerandorum kanonum atque paternarum diffinitionum, quin immo et divinorum mandatorum contumelias multipliciter ac impudenter elatus; siquidem et ex schismaticorum et se, dum venerabilis frater et coepiscopus noster Ignatius Constantinopolitanam regeret ecclesiam, a sanctae communionis participatione contra regulas avertentium parte fuisse dinosceris et ex saeculari administratione atque militia et ex foro subito tonsoratus a Gregorio, Syracusano dudum episcopo a synodo damnato et ab apostolica sede vincto, episcopus ordinari putatus es et vivente ac superstite Ignatio patriarcha sedem ipsius invasisti et sponsam, quam a Christo sponso immaculatam custodiendam veluti amicus sponsi perceperat, non per ostium, quod Christus est, sed aliunde ex adverso in ovile dominicum more furis vel latronis irrumpens acsi violentus, rapax et scelestus adulter subripuisti et praeter, immo adversus apostolicos kanones [1] saecularibus potestatibus usus ecclesiam per eos obtinuisti. Deinde cum damnatis et anathematizatis atque cum his, qui, ne sacerdotale officium ante audientiam praesumerent, et a decessore meo sanctae recordationis Benedicto papa fuerant obligati, cotidie ac indifferenter communicans et conversans contra fidem promissam contraque tuam professionem, qua pollicitus es te adversus iam fatum patriarcham nullum sinistrum consilium esse

[1] Can. 31. MANSI, I, 53, sq.

factum, congregasti concilium et una cum sequacibus tuis depositis et damnatis et excommunicatis et anathematizatis et aliis sine ecclesiis atque cum his, a quibus vel tu irregulariter ac illicite provectus fueras vel quos ipse temere ac indebite promoveras, contra eundem fratrem et comministrum nostrum depositionem facere et anathema dicere ausus es. Deinde apostolicae sedis missos, quos pro causa sacrarum imaginum et pro inquirenda et nobis renuntianda iam fati patriarchae deiectione et ob inveniendum modum promotionis tuae destinaveramus, quibus potuisti argumentis a nostris mandatis avertere more Acacii, quondam Constantinopolitani haeretici patriarchae, praesumpsisti [1] et ad processionem, quae tibi cum comparibus tuis habebatur, sicuti eorum professione patefactum est et sancto spiritu revelante venerandae synodo [2], quae a nobis collecta est, claruit, ad damnatorum et schismaticorum tuamque communionem contempta legatione, quae vel gentilium more servari debuit, pertraxisti et in illusionem beati Petri apostoli, a cuius sede profecti fuerunt, non solum inefficaces redire fecisti, sed etiam impugnatores omnium, quae sibi fuerant imperata, monstrasti. Postremo episcopos, qui tibi tamquam adultero et pervasori communicare noluerunt, exilio religasti et ipsis viventibus contra canones tui sceleris complices in eorum subrogare locis non timuisti et usque in praesens ecclesiam Dei diversis persecutionibus impugnare non desinis, ita ut fratrem et coepiscopum nostrum Ignatium sanctissimum patriarcham inauditis poenis et horribilibus tormentis afficere non quiescas, sed et omnes, quotquot pro veritate et fide cum eodem persistere deprehendis, quibus praevales modis perdere impraetermisse moliaris.

Quamobrem in his et huiuscemodi cognoscentes contra evangelicas, apostolicas et propheticas atque kanonicas institutiones efferre dolemus et nimiis meroribus affecti necessario te praesentibus apicibus admonemus, hortamur et obsecramus, ut instantis mundi gloria non decipiaris et aeterna bona pro his brevibus non amittas. Pensa quam pauca sunt omnia, quae hic mulcent, quamlibet multa esse videantur. Perpende, quaeso, quam

---

[1] Felix III papa ad Acacium; MANSI, VII, 1055. — [2] Romanae 863.

multiplex sit et quam prolixa poena gehennae, et hanc incidere pertimesce, hanc tibi adquirere medullitus exhorresse. Nam, secundum evangelium [1], « quid prodest homini, si lucretur totum mundum, animae vero suae detrimentum patiatur? » Scimus, quoniam sapientia praeditus et scientia ditatus haberis. Sed audi, quid propheta de quibusdam sapientibus dicat [2]: « Sapientes », inquit « sunt, ut faciant mala, bene autem facere nescierunt »; porro de scientia egregius apostolus ait [3]: « Scientia inflat, caritas vero aedificat ». Ergo quantum non prosit, immo quantum obsit, non ad bona, sed ad mala faciendum, habentibus sapientiam, animadverte et noli gloriari, si habes scientiam sine caritate, quoniam teste apostolo illa inflat, ista aedificat. Et certe absurdum ac indecens est, ut eam, quae inflat, virtutem habeas, illa vero quae aedificat, careas. Quam autem habuisti caritatem, quando videbas fratrem et comministrum nostrum Ignatium ab ecclesia sua pelli, impeti et adversus eum coniurationes et conspirationes praeparari? Et non solum minime illum, cum posses utpote ad saeculum clarus et honorabilis, adiuvisti, verum etiam cum factiosis concurristi et cum machinantibus adversus eum et varias malignitatis argumentationes excitantibus concertasti, quin potius horum omnium peccatum [4], quod generat mortem, in te proprie consummatum est, nimirum qui cunctarum praevaricationum in illum commissarum tu auctor factus est. Nam et, si te homicidam dicimus, non mentimur, Iohanne apostolo clamante, qui ait [5]: « Omnis, qui odit fratrem suum, homicida est ». Si ergo, qui odit fratrem suum, homicida est, quanto potius is, qui patrem non solum odit, sed et, quantum in se est, mactat, insuper etiam sicut Achab [6] quae illius sunt rapit et possidet, homicida dicendus est non solum qualiscumque homicida verum etiam et patricida? Pater enim tuus erat Ignatius et tu filius eius, qui tantum a te prae naturali patre debuerat venerari, quantum spiritus, quo relativa haec nomina mutuo possidetis, praeferendus est carni. Porro si te viperam [7] appellamus, non fallimur; si quidem tu nonnisi parente perempto

---

[1] Marc. VIII, 36. — [2] Ierem. IV, 22. — [3] 1 Cor. VIII, 1. — [4] Cf. Iac. I, 15. — [5] 1 Ioh. III, 15. — [6] Cf. 3 Reg. 21. — [7] Cf. Isidor. Etymol., lib. XII, c. 4 § 10. MIGNE PL 82, 443 B.

proficere credidisti. Iam vero si te Cham [1] similem asserimus, nec sic erramus; ipse quippe adeo in irrisionem et contumeliam patris prorupisti, ut de cathedra sacerdotali eum proiceres et ad illudendum mimis et scenicis inverecunde proderes. Extremo si te Iudaeis comparamus, fortasse nec modicum quid a vero discedimus; nam ipse non solum super magistrum tuum contra evangelium [2] factus es, verum etiam ordinationi Dei resistens [3] adversus eum dentes [4] tui arma et sagitta et lingua tua machera acuta effecta est. Quandoquidem non sicut sanctus David mittere manum in Christum Domini formidasti, sed sicut principes latronum Rechab et Benaa regem suum [5] trucidantes insurgere contra rectorem tuum versutis insidiis magnopere procurasti; quos idem sanctus David [6], sicut et illum, qui se Christum Domini, Saulem videlicet, peremisse nuntiaverat, tamquam homines impios et principem suum trucidantes tradere morti laudabiliter iussit.

Quamquam etiamsi nihil in his reprehensionis admitteres, cum pridie laicus fueris et saeculo militaveris, nequaquam tam repente debueras ad summi sacerdotii pervenire fastigium; quandoquidem nec monachorum poteras tam subito secundum probabilium patrum traditionem perfectionem consequi, Gelasio [7], Gregorio [8] et Hadriano [9], magnis et vere sanctis sedis Romanae praesulibus, id ipsum, quod serenissimo Augusto atque tibi iam scripsimus, multipliciter inhibentibus. Sane si horum, tamquam ignotorum, sanctitatis insignia non agnoscebas, licet, cuius fidei, cuius studii fuerint, per eorum nosse scripta sufficeres, saltem Caelestini [10] atque Leonis [11], eiusdem sedis pontificum, reverentiam prae oculis habuisses, quorum sententiae tota per mundum diffusa inclinatur ecclesia quorumque doctrinam, sicut in sacratissimis tertia et quarta synodo videre est, Christiana veneratur apprime religio, quin immo et quorum virtutum decus et eloquentiae nitorum necnon et morum probitatem ac exhortationum

---

[1] Cf. Gen., IX, 23. — [2] Cf. Matth. X, 24. — [3] Cf. Rom. XIII, 2. — [4] Cf. Ps. LVI, 5. — [5] Cf. 2 Reg. IV, 2. — [6] Cf. 2 Reg. 1, 14, 16; 4, 11, 12. — [7] Cf. Migne PL 67, 303. — [8] Gregor. Magno, Registr. IX, 218. Monum. Germ., Epist. II, 208. — [9] Mansi XII, 1074 sq. — [10] Cf. Migne PL 67, 278. — [11] Cf. Migne PL 67, 293.

suavitatem non solum fideles reges, verum etiam infideles ac tyranni barbarique principes reverentia vel pavore non modico mansuefacti vehementer amplexati sunt et sectati. Quodsi magnos sanctosque fuisse non negas — quia nec vales; alioquin pugnabit [1] pro eis orbis terrae contra insensatos — oportet, ut in cunctis ecclesiae dogmatibus et disciplinis eos sollerter attendas et veneranter admittas. Nam si in ceteris nostrae religionis negotiis eorum assertionibus cesseris et in his eos, in quibus tuae promotioni contradicunt, contempseris, apparet te minus saluti communi quam amori privato intendere ac per hoc non quae Iesu Christi, sed quae tua sunt quaerere [2]. Aut enim illi bonae arbores fuerunt et bonos fructus fecerunt aut malae, quod absit, et fructus eorum mali; et si quidem boni fuerunt et fructus eorum boni, oportuit eos tamquam bonos sequi: « Non enim potest », evangelio [3] testante, « bona arbor malos fructus facere ». Porro si de eisdem non cum tota ecclesia Christi sapis, necesse est, qualiter vel ipsi vel fructus eorum mali fuerint, plurimus adhibitis ex omni ecclesia testibus comprobes et affirmes, quoniam tibi soli super hoc negotio contraria suadenti non creditur.

Iam vero si dixeris: Bona et grata sunt atque salubria, quae praedicaverunt vel statuerunt, sed non omnia, nam horum quaedam dulcia, quaedam amara fuere, Iacobus tibi pro eis respondet apostolus dicens [4]: « Numquid fons de eodem foramine emanat dulcem et amaram aquam? » Quoniam, sicut idem iterum ait [5]: « Neque salsa dulcem potest facere aquam »; spiritus enim sanctus, quorum vasa isti fuerunt, non potest nisi dulcia per hos, quos repleverit, eructare. Praeterea si profiteris omnia eorum decreta salutifera quidem fore, sed haec vos hactenus ignorasse, nec sic profecto excusabiles eritis. Nisi enim ignorantiae peccata essent, nequaquam psalmista pro his Dominum precaretur dicens [6]: « Delicta iuventutis et ignorantiae meae ne memineris »; qui rursus denique dicit [7]: « Noluit intellegere, ut bene ageret. Iniquitatem meditatus est in cubili suo ». Qui enim non ait: « Non intellexit », sed: « Noluit in-

[1] Cf. Sap. V, 21. — [2] Cf. Phil. II, 21. — [3] Matth. VII, 12. — [4] Iac. III, 11. — [5] Iac. III, 12. — [6] Ps. XXIV, 7. — [7] Ps. XXIV, 4, 5.

telligere, ut bene ageret », profecto monstravit, quia saepe proposito voluntatis ignorantia procuratur. Porro de ignorantia cunctam a te securitatem auferes, si apostoli formidolosa verba consideraveris, quibus ait [1]: « Si quis autem ignorat, ignorabitur » ; quia profecto, docente sancto Gregorio papa [2], hi, qui ea, quae sunt Domini, nesciunt, a Domino nesciuntur. Sed dicis: Haec nos in lege non suscipimus, et praevaricatores, qui significantius Graece paranomoe dicuntur, non sunt, nisi qui praeter legem acceptam aliquid pravitatis committunt, sicut apostolus ait [3]: « Ubi non est lex, nec praevaricatio ». Sed audi et expavesce, quod rursus idem dicit apostolus [4]: « Quicumque enim sine lege peccaverunt, sine lege peribunt ». Alioquin gentes, quae legem non acceperunt, excusabiles fateberis. Verum ego universos, qui inique agunt, transgressores dixerim, psalmographum habens auctoritatem, qui canit [5]: « Praevaricantes », inquiens, « reputavi omnes peccatores terrae ». Dicens ergo: « Praevaricantes reputavi omnes peccatores terrae », etiam gentes, quae legem non acceperunt, comprehendit. Quoniam etsi legem per Moysen datam non acceperunt, acceperunt tamen legem naturae; quae nisi corrupta fuisset, lex Mosaica data non esset. Quam videlicet legem naturalem nunc a te non inconvenienter exigimus, qui gloriaris tantorum sanctorum pontificum edicta nullatenus accepisse. Denique hanc sibi datam, si volumen cordis tui conscientia scrutata fuerit, procul dubio non negabit. Ibi quippe scriptum repperies, lege naturae dictante, te a nemine velle laedi, a nemine velle tua prorsus auferri. Quapropter et apto praecipitur [6]: Quod tibi non vis fieri, alii ne feceris, et Domino dicente [7]: « Quaecumque vultis, ut faciant vobis homines, et vos eadem facite illis ». Ideoque non poteris hanc te legem non accepisse causari, cum eam etiam ipsa natura doceat et propria uniuscuiusque voluntas edere iugiter innotescat.

Quodsi hanc datam tibi fuisse non denegas, profecto sedis apostolicae praesulum decreta te accepisse demonstras. Quid enim illa nisi: Quod tibi non vis fieri, alii ne feceris, dicunt, quando

[1] 1 Cor. XIV, 38. — [2] Regul. pastor. lib. 1, c. 1; Migne PL 77, 15. — [3] Rom. IV, 15. — [4] Rom. II, 12. — [5] Ps. CXVIII, 119. — [6] Cf. Tob. IV, 16; Luc. VI, 31. — [7] Matth. VII, 12.

praecipiunt [1], ne subito factus clericus clericis dominetur, qui per singula stipendia militaverunt et omnem in dominicis castris aetatem egerunt. Quid, inquam, illa nisi [2]: « Omnia, quae vultis, ut faciant vobis homines, et vos eadem facite illis », iubent, quando praecipiunt, ne prioris ordinis tui quislibet saltu praepropero in alienum honorem ambiat immoderata cupiditate transcendere vel pro suo libitu iura studeat aliena pervadere. Et certe, si tu per singula stipendia in ecclesia Constantinopolitana militasses et omnem in dominicis castris aetatem egisses et quislibet prioris professionis tuae saltu praepropero in honorem tuum ambiret immoderata cupiditate transcendere et pro libitu studeret tua quaeque pervadere, mox in vocem prorumperes et adversus hunc querelas exponeres et, quia praeceptum esset [3]: « Non concupisces rem proximi tui neque omnia, quae illius sunt », et rursus: Quod tibi non vis fieri, alii ne feceris, sufficientibus scriptis palam cunctis ostenderes et quod Iohannes Baptista [4] militibus, ut neminem concuterent neque calumniam facerent et contenti essent stipendiis suis, praecepit, intentissime commemorares et ei: Noli me concutere, noli mihi calumniam facere, sed esto tu, qui miles saeculi hactenus fuisti, stipendiis tuis contentus, quia sic tibi praecursor Domini iubet, excelsis vocibus exclamares et flebili forte singultu: Mea stipendia meorumque fructus laborum noli concupiscere, noli subripere, noli de me vel de meis commilitonibus male sentire, noli modo veniens nos omnes tot curriculis temporum diversis proeliis Domini iam fessos, tot sudoribus et vigiliis pro civitate ipsius iam tabefactos velle saltu quodam ambitionis transcendere et in nobis ex militia nostra non electus vel provectus noli ducatum arripere.

Igitur cum ea, quae sedis apostolicae praesules instituerunt, in litteris sacris invenias, immo vero in temetipso iugi perseverantia relegas, noli, quia decreta ipsorum non susceperis, amplius asseverare, cum ipsi nihil, nisi quod naturalis, quod Mosaica necnon et gratiae lex iussit, instituant et, quicquid in Sardicensi sancti patres concilio statuerunt, custodienda prorsus

---

[1] Coelestini I epist.; MIGNE PL 67, 278. — [2] Matth. VII, 12. — [3] Exod. XX, 17. — [4] Cf. Luc. III, 14.

diffiniant, inter quos Osius ille famosus et magnus inventus est Athanasius; quamvis tu, nescimus, quid somnians dicas eiusdem concilii kanones apud vos non haberi, quod procul a vero multis esse probatur indiciis. Primum quidem quoniam, quando Zaccharias [1], qui se praetendebat episcopum, ex parte Syracusani Gregorii et collegarum eius apostolicam sedem adiit eorum deposcens renovari iudicium, hos se in appellatione kanones et eos, a quibus missus extiterat, fuisse secutus aiebat. Deinde nos diligentissime requirentes repperimus ipsos kanones eo sensu et numero non solum in novis, verum etiam in veteribus atque chartaneis codicibus, qui veratiores soliti sunt inveniri, Graece conscriptos, quo ceteris Latinis kanonibus inserti esse cernuntur, nimirum qui et a praesulibus provinciarum pene totius orbis diffiniti sunt et illos omnibus satis placuisse per eadem exemplaria Greca monstrantur. Quomodo autem non esse penes vos Sardicenses kanones tu solus astruere poteris, quando non solum a Latinae, verum etiam cum aliis a Grecae linguae hominibus statuti sunt et promulgati? Qua de re credibile non est quod illic diffinitum est unumquemque ipsorum minime linguae propriae tradidisse. Aut quomodo non sunt penes vos kanones Sardicenses, quando inter quinquaginta titulos [2], quibus concordia kanonum apud vos texitur, ipsi quoque repperiuntur? Iam vero si et habitos cum praefatorum insignium Romanorum pontificum decretalibus institutis de laicis ad ecclesiasticos gradus non temere provehendis emissis contemnendos esse putasti, saltem doctorem gentium Paulum apostolum audire consensisses et, quam sancti patres in Sardicensi concilio convenientes in hoc cum eo concordaverint, attendisses. Nam et audenter dicimus et veraciter profitemur, quoniam qui Sardicense concilium non recipit, nec Paulum apostolum recipit. Quid enim, ut cetera praetermittamus, Sardicense concilium statuit, quando dicit [3]: « Si forte aut dives aut scolasticus de foro aut ex administratione episcopus fuerit postulatus, non prius ordinetur, nisi ante et lectoris munere et officio diaconi aut presbiteri fuerit perfunctus;

---

[1] a Gregorio Asbesta contra canones episcopus Tauromenitanus ordinatus est. — [2] canonum collectionem Iohannis Scholastici patriarchae Constp. — [3] MANSI III, 27.

et ita per singulos gradus, si dignus fuerit, ascendat ad culmen episcopatus. Potest enim per has promotiones, quae habebunt utique prolixum tempus, probari, qua fide sit, qua modestia, qua gravitate et verecundia. Et, si dignus fuerit probatus, divino sacerdotio illustretur, quia conveniens non est nec ratio vel disciplina patitur, ut temere et leviter ordinetur aut episcopus aut presbyter aut diaconus, qui neophytus est, maxime cum et magister gentium beatus apostolus, ne hoc fieret, denuntiasse et prohibuisse videatur, sed hi, quorum per longum tempus examinata sit vita et merita fuerint comprobata ». — nisi quod apostolus praecipit dilecto discipulo dicens [1] : « Manum cito nemini imposueris neque communicaveris peccatis alienis », et de diaconibus [2] : « Hi autem probentur et sic ministrent ». Quis autem maiorem concordiam quam in his verbis apostoli et memorati concilii poterit invenire ? Quid vero est « cito » nisi ante maturitatem aetatis, ante tempus examinis, ante meritum laboris, ante experientiam disciplinae, immo ante exhibitionem subiectionis potius quam celsitudinem praelationis ? Iam vero si apostolus — ut interim saepedicti concilii mentio differatur — diaconos probari praecipit et sic ministrare, quanto potius episcopus diutinis est temporum spatiis per omnium exercitia virtutum probandus et [3] « tamquam aurum in fornace » igne diversarum temptationum examinandus sicque demum purgatus iam et expiatus cunctis probis moribus et virtutibus manifestus ad praelationis fastigium provehendus.

Igitur nos quidem de indebita promotione tua summatim haec scripsisse tibi cognosce. Tu autem, qui etiam cogitationum tuarum testis es, quam illicite sis provectus, scire facilius poteris. Qua de re alienum cessa de cetero pervasum locum tenere, ne fias domui Israhel [4] in offendiculum iniquitatis et amplius caecis ducatum [5] praestes erroris. An non, ut multa omittamus, offendiculum domui Israhel factus es, qui tantam Domini plebem Ignatium deserendo contra suam subscriptionem vel professionem agere conpulisti ? An non ei ducatum erroris praestasti, quando illi pastorem suum infideliter deserere et te,

[1] 1 Tim. V, 22. — [2] 1 Tim. III, 10. — [3] Sap. III, 6. — [4] Cf. Ezech. XLIV, 12. — [5] Cf. Math. XV, 14.

cui non pertinebat aliquid de ovibus, sequi callide suasisti? Verum [1] tanti reatus pondere iam fugeres, si veritatis sententiam sollicita cordis aure pensares, quae ait: [2] « Qui scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo eius, et demergatur in profundum maris ». Per molam quippe asinariam saecularis vitae circuitus ac labor exprimitur et per profundum maris extrema damnatio figuratur. Melius ergo tibi fuerit, ut sub exteriori habitu te ad mortem saeculi acta constringerent, quam sacra officia ambiendo et non solum unum, sed et cum magistro patre ac pastore tuo plurimos eorum, qui in Domino credunt, scandalizando in culpa te ceteris imitabilem demonstrares; quia nimirum, si solus caderes, utcumque te tolerabilior inferni poena cruciaret. Fuge itaque principatum nequiter usurpatum; declina praeesse, qui innumeris dinosceris indesinenter obesse. Scriptum [3] legisti quia « Iesus », qui utique rex verus est, « cum cognovisset, quia venturi essent ut raperent eum et facerent eum regem, fugit ». Quis enim principari hominibus tam sine culpa potuisset, quam is, qui hos nimirum regeret, quos ipse creaverat? Sed quia idcirco in carne apparuit, ut non solum nos per passionem redimeret, verum etiam per conversationem doceret, exemplum se sequentibus praebens rex fieri noluit. Ad crucis vero patibulum sponte convenit, oblatam gloriam culminis fugit, poenam probrosae mortis appetiit, ut videlicet membra eius discerent favores mundi fugere, terrores minime timere, pro veritate adversa diligere, prospera formidando declinare.

Igitur tandem aliquando audi nos, quos si audieris, non senties erga te penitus inflexibiles nec ad misericordiam duriores; quia, ut Leo magnus apostolicae sedis antistes beato Flaviano scribit [4]: Dominus noster verus et bonus [5], « qui animam suam posuit pro ovibus suis et qui venit animas hominum salvare, non perdere », imitatores nos suae vult esse pietatis ut peccantes quidem iustitia coerceat, conversos autem misericordia non repellat.

---

[1] Gregorii M. Regul. pastor. I c. 2; MIGNE PL 77, 16. — [2] Math. XVIII, 6. — [3] Ioh. VI, 15. — [4] MANSI V, 1387. — [5] Ioh. X, 15.

Siquidem nunc pro omnibus, quae sparsim per huius epistolae textum te contra omnia iussa divina perpetrasse commemoravimus, Dei [1] omnipotentis et beatorum apostolorum principum Petri ac Pauli et omnium simul sanctorum atque venerandorum sex universalium conciliorum auctoritate necnon et spiritus sancti per nos iudicio cuncto sacerdotali honore ac nomine — quod gementes dicimus — alienus et omni clericatus es officio prorsus exutus, ita ut, si post notitiam huius sanctionis, quam divina inspiratione depromptam esse credimus, dum unanimitate et concordia sanctae synodi sit procul dubio promulgata, temptasti in Constantinopolitano throno praesidere aut saepefato venerabili coepiscopo nostro Ignatio, quominus ecclesiam sibi commissam sine quavis inquietudine regere posset, impedisti vel si de ministerio sacro ulterius ausus fuisti aliquid more sacerdotis contingere iuxta praecedentem consuetudinem, quod contra kanones [2] est, nullo modo liceat tibi communionis spem aut locum habere satisfactionis, sed anathematis vinculis innodatus una cum communicatoribus tuis atque fautoribus perpetuo Dei iudicio ac sententia per mediocritatem nostram existens sacrum corpus et sanguinem domini nostri Iesu Christi nonnisi vicino mortis periculo percepturus: quatenus haec unusquisque discens nequaquam de cetero temeraria praesumptione ex laicis subito in dominicis castris insperato quodammodo impetu irrepere audeat et principatus amore ante dux esse velit, quam tyronis consummet officium, et ante temptet docere quam discere, sicut in eadem Constantinopolitana ecclesia saepe praesumptum esse comperimus, et rursus, ne contemptis clericis, quorum utpote in tam magna urbe copiosa multitudo est quique ab ipsis, ut ita dixerimus, cunabulis inpraetermisso labore in ecclesia Christi desudant et indesinentia Domino exhibent servitutis obsequia, is, qui de foris est alterius, ovilis Christi repente principatum arripiat et nitatur, quos esse suos non recognoscit, discerpere, et grex dominicus incipiat eum utpote extraneum et inprovisum omnino contempnere, praesertim cum

[1] sequentia usque ad finem paene verbotenus desumpta ex capitulo I synodi Romanae 863. — [2] Antioch. c. 4; Mansi II, 1322.

perspiciat nihil sibi stipendia profecisse meritorum et alienum suorum cernat consumere fructus laborum.

Data Idus Novembris indictione XV.

13.

S. Nicolaus Papa S. Ignatio.

13 Nov. 866.

Nicolaus Papa S Ignatium patriarcham propter persecutiones ei inflictas consolatur. PERELS 544-547; MIGNE PL 119, 1058-61. Complures sententiae huius epistolae concordant paene verbotenus cum aliis epistolis Nicolai (PERELS 517 sq.).

Nicolaus Episcopus Servus Servorum Dei Reverentissimo Et Sanctissimo Fratri Et Comministro Nostro Ignatio Patriarchae Constantinopolitano,

Dici non potest, frater karissime, quantis meroribus vel quantis anxietatibus ob inmensitatem tribulationum et persecutionum in vos illatarum afficiamur quantisque nos laboribus et certaminibus fraterna dilectione provocati iugiter ac indesinenter immisceamur, nimirum qui et causam vestram nostram repetamus et onera totius ecclesiae baiulamus. Etenim [1] considerato ministerio nostro, quod divinitus per beatum Petrum apostolum ad nos usque derivatum suscepimus, non est nobis dissimulare, non est pro fratribus nostris silendi facultas, quibus maior et honor et onus cunctis Christianae pietatis et ecclesiarum correctionis inesse debere sollicitudo dinoscitur. Sustinemus quippe cunctorum, qui premuntur, gravamina, quin potius sustinet in nobis haec sanctus Petrus apostolus, qui in omnibus, ut confidimus, administrationis suae protegit ac tuetur heredes. Quae vero de vobis sedis apostolicae auctoritatem habentes ac privilegia ipsius vindicantes decreverimus, dilectioni vestrae his intimamus affatibus, quoniam apud nos hoc semper fuistis, quod

---

[1] Cf. Siricius papa ad Himerium Tarracon. episcopum; MIGNE PL 67, 231.

ex omnipotentis Dei munere accepistis esse, non, quod ex voluntate hominum putamini non esse.

Igitur postquam legati nostri, Rhadoaldus scilicet et Zaccharias dudum episcopi, quos Constantinopolim pro inquirenda solummodo causa remotionis vestrae a sede Constantinopolitana inter illa, quae iussu nostro pro sacris imaginibus erant agenda, miseramus, reversi sunt et tam eorum relatione quam scriptis per Leonem imperialem a secretis nobis delatis comperto, quod ipsi etiam sententiam contra vos dederint, tanta sumus mestitia tantoque cruciatu mentis attriti, quanto contraria gesserunt omnibus, quae sibi fuerant imperata, quantoque per eos visa sunt stabiliri. quae credebamus penitus exinaniri, quanto etiam subreptum est atque persuasum omnibus nos in talibus praestitisse consensum. Quapropter, dum apud nos idem Leo imperatoris missus adesset, convocata tota, quae apud nos est. ecclesia professi sumus coram ipso, sicut et profitemur, pro deiectione vestra et confirmatione Photii numquam misisse, numquam missuros esse et in depositione vestra vel promotione Photii numquam consensisse, numquam consensuros esse. Et haec saepius dicta et palam adnuntiata atque in apostolatus nostri epistolis taliter inserta tam excellentissimo imperatori Michaeli quam Photio destinatis praefato Leoni a secretis decretis deferenda tradidimus.

Deinde vero, qualiter ab ecclesia Christi, cui divina ordinatione praesumus, non habente maculam [1] aut rugam aut aliquid huiusmodi hanc sinistram procul faceremus suspicionem, ne [2] videlicet in hac saltim tenuis subsannandi oriretur occasio, cogitare coepimus et mente revolvere. Tum convocato multarum provinciarum Occidentalium regionum sanctissimorum episcoporum coetu et collecta sancta synodo in ecclesia Dei, in qua beatus Petrus reiacet, primum quidem decernente nobiscum sancta synodo Zacharias depositionis et excommunicationis sententiam pertulit, Rhadoaldi comparis videlicet sui, iudicio propter absentiam protelato, quod tamen se similiter deponens et communione privans et ipse non in finem evasit. Praeterea deposuimus Photium, immo Deus deposuit eum, tamquam neophytum et pervasorem atque adulterum et omni sacerdotali ho-

---

[1] Cf. Eph. V, 27. — [2] Gelasii decretum; Mansi VIII, 149.

nore seu clericatus officio necnon et patriarchatus nomine prorsus exuimus; et, si post notitiam huius nostrae sanctionis in Constantinopolitano throno praesedit aut vobis ad recipiendam ecclesiam inpedivit vel si ausus [1] fuit de ministerio sacro quicquam more sacerdotis contingere, communione et loco satisfactionis omnino privavimus et una cum communicatoribus et fautoribus suis anathematizavimus. Pariter et Gregorium, qui Syracusanae ecclesiae Deo contempto praeest, eo quod a vestra se communione sequestraverit et Photium irregulariter ordinaverit et post depositionem sacrum ministerium tetigerit, sancivimus atque statuimus omni sacerdotali gradu fore privatum, ita ut, si postea praesumpsit in sacro officio more sacerdotis ministrare, anathema sit. Sed et, si contra vos turbas excitavit vel excitaverit vel a vestra communione fideles averterit, anathema sit, et [2] omnes communicantes ei ab ecclesia abiciantur, sed et ipsi anathema sint. Eos vero, quos Photius ordinavit, quoniam manifestum est eos in omnibus consecratori suo communicasse, omni clericatus officio dispoliavimus.

Vos autem auctoritate summi iudicis domini nostri Iesu Christi promulgavimus numquam fuisse nec esse depositum vel anathematizatum, tamquam qui ab imperiali potentia sis absque ulla canonica auctoritate tua pulsus ecclesia et tamquam qui ab obligatis nullo possis haberi vinculo colligatus et ab eis, qui nullam te iudicandi potestatem vel ab apostolica sede auctoritatem habuerint, nullum tui honoris discrimen pati debueris. Itaque vos omni vinculo anathematis per potestatem divina voce beatisssimo Petro collatam et per auctoritatem sacrorum canonum remoto pristinae dignitati, sedi, gradui, patriarchio ac pristinis et pontificalibus infulis atque officiis restituimus et confirmavimus; ita ut quicumque in omnibus huic decreto non oboedisset vel se a vestra communione separasset vel ulterius contra vos aliquod iudicium absque sedis apostolicae consensu protulisset, si quidem clericus esset, ab omni clericatus officio coram Deo et hominibus foret alienus: si vero laicus extitisset ille, quisquis esset constitutioni nostrae contraire temptans, et

[1] Concilii Antiocheni can. 4; Mansi II, 1322. — [2] Conc. Antioch. can. 4; Mansi II, 1322.

vos sedem et omnem pristinam dignitatem recipere non permisisset vel si post receptam denuo vos inpellere temptasset vel personae vestrae aliquam molestiam irrogasset, omni benedictione paterna privaretur et maledictione Chanaan [1], filii Cham, qui verecundiam patris non cooperuit, sed irrisit, multaretur et cum patricidis aeterna poena Domino iudicante percelleretur et nexibus anathematis nonnisi resipiscens penitus erueretur.

Eos autem episcopos seu cuiuslibet ordinis clericos, qui post nec dicendam depositionem vestram in exilio religati vel ministerio aut gradu cassati ac privati sunt, statuimus, ut exilio dissoluto proprias ecclesias atque gradus recipiant, ita ut, si quisquam huic decreto nostro contraire praesumpsit et, ut ecclesias vel gradus resumant, impedivit vel impedierit, quousque obtemperet, anathema sit. De his autem, qui ex horum catalogo forte ab aliis criminarentur, decrevimus eos antea quidem proprias ecclesias et gradus recipere, non autem nisi ab apostolicae sedis Romanae pontifice iudicari, sed si qua praeter regulam egisse forte dicerentur, nostro eos decreto iudicandos reservari statuimus, iuxta quod et sacri praecipiunt kanones.

Haec sunt, frater karissime, quae in superius memorata veneranda synodo una cum fratribus et consacerdotibus nostris diversarum provinciarum Occidentalium secuti antecessorum nostrorum auctoritatem egimus et statuimus. Quae idcirco beatitudini vestrae nota facere curavimus, ut scire valeat, quae nostra sit super negotio vestrae fraternitatis intentio, et nemo possit aliter vobis de his suadere, quae gesta sunt.

Nunc autem hortamur, ut spe, quae in Deum est, erecti [2] « ne deficiatis in tribulationibus », « scientes [3], quoniam tribulatio pacientiam operatur, pacientia vero probationem; probatio vero spem, spes autem non confundit ». Nam et nos, licet longe positi, ubi pravitatem persequentium vos agnovimus, fraterna sollicitudine nos urente non modico flagramus incendio, licet inter ecclesias Dei, quae in unum Christi thalamum ubique referuntur, nihil longe sit, nihil habeatur extraneum. Unde [4], frater

---

[1] Cf. Gen. IX, 22-25. — [2] Eph. III, 13. — [3] Rom. V, 3-5. — [4] sequentia usque ad finem epistolae sumpta sunt verbotenus fere ex Coelestini I papae epistola ad clerum et populum Constantinopolitanum; MANSI IV, 1042-46.

karissime, consolatio vestra ex Deo sit, qui dat semper virtutem confidentibus in eum. Habetis exempla sanctorum, qui olim seminantes in lacrimis [1] in gaudio mensuri sunt in futuro. Non amat Dominus noster servum nisi experimentis probatum. Christianas animas rerum palestra semper exercet. Nostri nobis bella moverunt, si tamen nostri dicendi sunt, quos ad inimicum transivisse foedere rupto sentimus. Nulla est tribulatio temporalis, si sit ante oculos praemium sempiternum, cui nihil convenit anteponi. Clamat noster hymnidicus [2], si adversus se castra consistant, spe illuminationis eius sibi penitus non timendum. Rogamus ergo, quicquid inimicus intulit, ferte patienter. Indixit iniurias, indixit contumelias, indixit exilia. Ille in suis hoc passus est, qui pertulisse pro nobis sputa, flagella mortemque dinoscitur. Pacientiae vobis atque constantiae forma Stephanus primus Christi martyr existat. Sed longum est ire per singulos, qui vitam vel moriendo vel confitendo mercati sunt. Habetis tamen vos, qui ecclesia estis expulsi, beatae recordationis Athanasii Alexandrinae ecclesiae prudentissimi sacerdotis exemplum. Cui non consolationi sit illius tolerantia, cui non spem faciat eius expectata reversio? Eicitur Ario persequente, sed revocatur Domino prosequente. Passus est carcerem, passus angustias; nec mirum, si vir apostolicus ea passus est, quibus apostolus se gloriatur exercitum. Fugatus illinc in nostris partibus roboratus est et in hac sede requiem communionis invenit, a qua semper catholicis subvenitur. Nec tamen sensit in tribulationibus lassitudinem, qui factus est in persecutione confessor. Unde non debetis temporalem vobis illatam deiectionem dolere, quia, sicut credimus, a Deo non cecidistis. Potius ergo timeamus, ne a regione vivorum deiciamur. Illud est nostrum, illud aeternum. Nostrum enim non est, unde transitur; sed illa vere nostra sunt, quae spes certissima pollicetur. Sunt autem, dicente apostolo [3], « quae oculus non vidit nec auris audivit nec in cor hominis ascenderunt, quae praeparavit Deus diligentibus se ».

Data Idus Novembris indictione XV.

---

[1] Cf. Ps. CXXV, 5. — [2] Cf. Ps. XXVI, 3. — [3] 1 Cor. II, 9.

14.

S. Nicolaus Papa de accusationibus Graecorum contra ecclesiam romanam.

23 Octobri 867.

Nicolaus papa Hincmarum archiepiscopum caeterosque episcopos regni Caroli Calvi hortatur, ut scriptis et synodaliter ecclesiam romanam contra accusationes Graecorum defendant.

In prima parte epistolae, originem discordiae ecclesiae Constp. cum ecclesia romana, adventumque legatorum regis Bulgariae ad curiam pontificiam describit.

Perels 603-604 ; 605; Migne PL 119, 1155-56.

Ordinatis igitur, quae tam Vulgarum gentis congruere fidei rudimentis [1] agnovimus quam quae Constantinopolim mittere disposueramus missos quoque nostros cum legatis iam nominati regis per ipsius transituros regionem direximus. Quos [2] imperatores Graecorum non solum recipere minime consenserunt, verum etiam vehementer adversus Vulgares animos commoverunt, eo quod per suam eos terram transire permiserint, nihil aliud procul dubio innuentes, nisi quod eos, si per sibi subiectas regiones transissent, illis periculis traderent, quibus praefatae urbis haeretici principes saepe sedis apostolicae legatos pro causa fidei vel correctionis ecclesiasticae destinatos tradidisse leguntur.

Praeterea cum Vulgarum rege demorantibus et ad urbem Constantinopolitanam eisdem nostris accedere missis conantibus idem imperatores epistolam [3] suam ipsi regi Vulgarum transmiserunt, quam ille accipiens nobis per legatos nostros deferri devota mente decrevit. Accipientibus itaque nobis et perscrutantibus eandem cum aliis scriptis epistolam non hanc saepe memorati principes dictantes nisi in lacu blasphemiae tinxisse calamum et luto erroris nisi pro atramento fuisse procul dubio patuerunt.

[1] Capitulis 106 Nicolaus Papa 13 nov. 866 ad Bulgarorum consulta respondit. Perels 568-600. — [2] Donatum episcopum, Leonem presbyterum, Marinum diaconum. — [3] Cf. Hergenröther I 655-666.

Conantur enim tam nostram specialiter quam omnem generaliter, quae lingua latina utitur, ecclesiam reprehendere [1], quia ieiunamus in sabbatis, quod Spiritum Sanctum ex Patre Filioque procedere dicamus, cum ipsi hunc tantum ex Patre procedere fateantur. Dicunt praeterea nos abominari nuptias, quia presbiteros sortiri coniuges prohibemus, et insimulare temptant, quoniam eosdem presbiteros chrismate linire baptizatorum frontes inhibemus; quod tamen chrisma nos ex aqua fluminis conficere fallaciter arbitrantur. Reprehendere nihilominus moliuntur, eo quod octo hebdomadibus ante Pascha a carnium et septem hebdomadibus a casei et ovorum esu more suo non cessamus. Mentiuntur quoque nos, sicuti per alia ipsorum conscripta indicatur, agnum in Pascha more Iudaeorum super altare pariter cum dominico corpore benedicere et offèrre. Quin et reprehendere satagunt, quia penes nos clerici barbas radere suas non abnuunt et quia diaconus non suscepto presbiteratus officio apud nos episcopus ordinatur, cum ipsi etiam illum, quem patriarcham suum nominant, ex laico subito tonsuratum ac monachum factum saltu ad episcopatus apicem imperiali favore ac brachio provehere, ut ipsi putant, minime formidaverint. Et adhuc, quod est gravius et insanius, a missis nostris contra omnem regulam et praeter omnem consuetudinem libellum fidei, si se ab illis recipi vellent, exigere moliebantur, in quo tam ista capitula quam ea tenentes anathematizarent, necnon et epistolas canonicas ab his ei, quem suum oecumenicon patriarcham appellant, dandas improbe requirebant.

Perels 605; Migne PL 119, 1157.

... Sed quid mirum, si haec isti praetendunt, cum etiam glorientur atque perhibeant, quando de Romana urbe imperatores Constantinopolim sunt translati, tunc et primatum Romanae sedis ad Constantinopolitam ecclesiam transmigrasse et cum dignitatibus regiis etiam ecclesiae Romanae privilegia translata fuisse, ita ut eiusdem invasor ecclesiae Photius etiam ipse se in scriptis suis archiepiscopum atque universalem patriarcham appellet.

---

[1] De his accusationibus Graecorum Iugie tractat in « *Theologia Dogmatica* » I 105 sqq.

INDEX DOCUMENTORUM

INDEX I VOLUMINIS

TEXTUS ET DOCUM

SERIES PHILOSOPHICA

1. **De Platonis doctrina circa animam.**
   Textus selecti (J. Souilhé). in-8°, pp. 84, 1932 - Lire 6.
2. **De origine formae materialis.**
   Textus antiqui et recentiores (P. Hoenen). in-8°, pp. 88, 1932 - Lire 6.
3. **De principiis ethicae socialis.**
   Documenta ultimorum Rom. Pontificum (G. Jarlot).
4. **Quinquae viae S. Thomae ad demonstrandam existentiam Dei, apud antiquos Graecos, philosophos Arabes et Iudaeos praeformatae vel adumbratae.**
   Textus selecti (P. Arnou).

— **De existentia et natura Dei secundum idealismum italicum**

zza).

—

llelis

— um

).

—

— ad
iam

— ya).

— iones

sp

SERIES THEOLOGICA

1. **De Spiritu Sancto anima corporis mystici.** — I. Testimonia selecta e Patribus Graecis (S. TROMP). in-8°, pp. 64, 1932 - Lire 4.
2. **S. Augustini: De Correptione et Gratia.** — Editio aucta introductione, notis, textibus parallelis (C. BOYER). in-8°, pp. 64, 1932 - Lire 4.
3. **De obligatione catholicorum perseverandi in fide suscepta.** — Documenta Vaticana (H. LENNERZ). in-8°, pp. 68, 1932 - Lire 4.
4. **De ordaliis.** — I. Decreta R. Pontificum et Synodorum (P. BROWE). in-8°, pp. 48, 1932 - Lire 4.
5. **De frequenti communione in Occid. usque ad a. 1000.** — Documenta varia (P. BROWE), pp. 84, 1932. L. 6.
6. **Photius et Ecclesia Romana.** — Documenta notis illustrata (G. HOFMANN). I: Primus Patriarchatus Photii, pp. 68, 1932 - Lire 4.
7. **De Spiritu Sancto anima corporis mystici.** — II. Testimonia selecta e Patribus Latinis (S. TROMP).

— **De Potestate Ecclesiae in temporalia.** — Documenta ecclesiastica (R. LEIBER).

— **Ordo communis missae cum anaphora S. Iacobi secundum ritum ecclesiae Antiochenae,** nunc primum e Missali Sarfensi a. 1922 latine redditus (I. HANSSENS).

— **Ordo communis missae cum anaphora S. Romanae ecclesiae sec. ritum ecclesiae Antioch. Maronitorum,** nunc primum e Missali Berytensi a. 1908 latine redditus (I. HANSSENS).

— **S. Leonis Magni Tomus ad Flavianum episc. Constant.** — Editio nova gr. et lat. notis illustrata (C. SILVA TAROUCA).

— **S. Cyrilli Alex. Apologeticus contra Theodoretum pro XII capitulis.** — Editio notis illustrata (L. LOHN).

— **De conatibus unionis inter Anglicanos et Graecos dissidentes.** — Documenta recentiora authentica (D. NERNEY).

— **De origine interdicti.** - Documenta varia (G. RICHTER).

— **De communicatione idiomatum Christi et membrorum in corpore mystico.** — Documenta patristica (S. TROMP).

— **De inquisitione et processibus strigarum.** — Textus selecti (R. LEIBER).